DISSERTATIO
THEOLOGICA,
DE
Divinitate Sacræ Scripturæ.
PARS SECUNDA.

QUAM

OPITULANTE DIVINA GRATIA
SUB PRÆSIDIO
Celeberrimi ac Eruditissimi VIRI
D. CAMPEGII VITRINGA,
S. S. Theol. Doct. ejusdemque Facultatis
juxta ac Sanct. Hist. Eccles. Prof.
pereximii, Philologi summi,
Publicæ disquisitioni subjiciet
MARTINUS BANFFI A. HUNYADI
Transyl. Hungarus.
AUCTOR & RESPONDENS.
A. D. MDCXCVI. loco horisqne solitis.



FRANEQUERÆ,
Apud JOHANNEM GYZELAAR, Illustr. Friæ Ordd.
atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordin. MDCXCVI.

SPECTABILI ac GENEROSO
DOMINO
LADISLAO BETHLEN. *De eadem.*
Avitis, iisque Heroicis virtutibus non minùs, quàm veræ nobilitatis dotibus eximiis præclaro Juveni Viro, ad meliorum spem, Patriæ, Ecclesiæ Reformatæ juxta ac Collegiorum Reformatorum, politiori literaturâ probè imbuto, Fautori suo plurimùm colendo.

UT ET

SPECTABILI ac GENEROSO
DOMINO
MARTINO SARPATAKI. *De eadem.*
Magni nominis Parentis Magnæ spei Filio, ad emolumentum Patriæ indies assurgenti, animi generosi dotibus illustri Juveni, Fautori suo impensè amando.

NEC NON

CELEBERRIMO ac DOCTISSIMO VIRO
D. SAMUELI SZATHMAR NEMETHI
S. S. Theol. in inclyto Coll. Reformat. Claudiopolitano Professori solidissimo, haud ita pridem Præceptori fructuosissimo, Fautorique suo maximoperè suspiciendo.

ITEM

CELEBERRIMIS ac DOCTISSIMIS VIRIS
D. GEORGIO BATAI,
D. MICHAELI T. CSEPREGI
Ecclesiæ Reformatæ, quæ in inclyta urbe Claudiacâ Christo colligitur, Sacrorum mysteriorum Dispensatoribus fidelissimis ac fructuosissimis: illi Domino ac Benevolo suo singularitèr honorando: huic nuper in inclyto Coll. Reformat. Claudiopolitano S. S. Theol. & Philos. Professori facundissimo ac fructuosissimo, Præceptori ibidem, ac Fautori suo debitâ officiornm suorum observantiâ enixè colendo.

SIMUL

CLARISSIMO ac DOCTISSIMO JUVENI VIRO
D. MICHAELI SZATHMAR NEMETHI
S. S. Lingv. ac Sanioris Philos. in Coll. Reform. Claudiopolitano Professori eximio, Fratri suo amantissimo.

In debitæ gratitudinis tesseram, eâ quâ par est animi cum submissione, hocce exercitium tenue Academicum consecrat

MARTINUS BANFFI A. HUNYADI
Transylvanô Ungarus
AUCTOR & RESPONDENS.

Victrix tamen ſtat cauſa Dei, ſuos
Qui paſcit almô gratuitæ cibô
Legis, medelam vitæ habentis,
Indere pabula ſpirituſque.
Sint inſolentes eſtò furoribus;
Illi Antichriſti (cedò) ſatellites
Divas in hujus tot loquelas,
Impia dogmata præferentes.
Divinitas verbi alta tamen manet,
Quam tu tueris ſtrenuè & unicè
Urges, *Miniſtrum* teque eôdem
Stigmate crediderim notandum.
Perge ergò ſacrum hoc dogma ſolennitèr
Exculte jàm jàm Vir Juvenis, tuam
Frontem ut perennet laus, tuere,
De ſuper accipiaſque fructus.
Facturus iſthæc, præmia ceu Dei
Servum fidelem, credito, ſedulò
(At gratuitò) præſtolari
Te jubeo haud peritura in ævum.
Includat ori plura precor Deus
Vitæ perennis Tri-Unicus,
Addatque florenti theſauros
Ingenio. Hæc pia vota fundo.

In honorem Præſtantiſſimi Dni Auctoris, Amici ſui, hæc pauca adjecit

MARTINUS VISKI
S. S. Theol. & Philoſ. Stud.

AD

dit blad hoort in 504 J 26

AD EUNDEM

A Doctis benè lata fuit ſententia quondam,
Reſpondent rebus nomina ſæpè ſuis.
Prælusit divina manus tibi Frater honeſte,
Hunyadidum dùm te nomina ferre ſinit.
Eſt Hunyad *teſtatus*, & id ſatis explicat Hophal,
Conſule ſi cordi eſt: Sanctum idioma docet.
Atteſtor *Martine* tibi, quòd ritè voceris
Hunyadi, nam veri dogmate teſtis ades.
Divinum, ratione, locis, comptô ordine *ſenſum*
Sacræ Scripturæ conſtruis atque doces.
Aſt veri *Defenſor* habet diadema perenne,
Dùm benè pro ſummo ſtrinxerit arma Deo.
Tuque tuum diadema polô poſt funera tandem
Percipies, ſequitur nunc tua terga decus.

In honorem Doctiſſimi Dni Auctoris, Amici integerrimi, animô liberaliori quàm calamô, hæc pauca adjecit

GEORGIUS SZOKOLYAI,
Theol. & Philoſ. Stud. Hungarus.



DISSERTATIO THEOLOGICA, DE Divinitate Sacræ Scripturæ.

PARS SECUNDA.

THES. XXXIV.

POstquam in prima parte nostræ Dissertationis, pro ratione acuminis nostri ingenii luculentissimè monstravimus ac probatum dedimus, quæ possint esse, & revera quæ sint, veræ notæ, veri characteres, vera κριτήρια, Verbi Divini, ex quibus creatura rationalis, homo scilicet, certus esse potest ac probè convinci de divinitate Verbi alicujus; ut nunc absque mora transeamus ad *tertiam* & *quartam* partem nostri thematis, quod proposuimus §. VII. tempus & instituti nostri ratio id flagitat atque exigit; atque adeò ut operosè quantùm per angustiam nostri ingenii licebit probemus, illa κριτήρια, illos characteres, illas notas (quocunque nomine tandem appelles) divinitatis, quas in prima parte Dissertationis recensuimus, nulli verbo, nulli doctrinæ, nullive scripto ut ut sapientissimo posse apprimè vel convenire, vel in ullo verbo contineri, maximè verò

 si non

si non seorsim, sed simul ac in complexo considerentur, præterquam soli Sacræ Scripturæ, & in Verbo illo Divino quod in Sacro thesauro Scripturarum continetur, proindeque illam unicè esse divinam, & eam solam extra omnem dubitationis aleam pro tali agnoscendam, æstimandam, celebrandam ac habendam esse: denique & id ordo nobis præfixus §. VII. exigit, ut in hac parte secunda hujus nostræ Dissertationis paucis adstruamus Divinitatem librorum Mosis, atque simul refellamus objectiones quasdam ad elevandam fidem librorum istorum atque divinitatem ab adversariis, malè certè in veritatem animatis, adductas. Hisce verò omnibus paucis defungemur.

§. XXXV. Itaque quod attinet primam notam quam dedimus in p. p. Dissert, dicimus. *Primò.* Quod Scriptura Sacra talem doctrinam nobis pandit, quæ nulli præter Deum primigeneam ac unicam veritatem, ens perfectissimum, mentem perfectissimam, quæ est omniscia, omnipotens, sibi soli sufficiens, nullius rei indiga suis bonis satis superque dives &c. adscribi tanquàm auctori ac causæ potest; uti hoc cuilibet fugitivis saltem oculis Sacram Scripturam percurrenti clarum ac manifestum est. Considerari velim in hanc rem inter alia *pactum* illud atque *Testamentum æternum* inter Patrem & Filium, quô Pater Filio veluti Testamentô quodam *disposuit* regnum: Christo Domino id docente, Luc. 22:29. *Pater meus disposuit mihi regnum:* quôque constitutus est Filius *hæres omnium* h. e. tùm Judæorum tùm gentium Heb. 1: 2. Ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων. *Quem constituit* seu *posuit hæredem omnium:* Unde etiam hoc respectu, Psal. 2: 8. *gentes* dicuntur *hæreditas* Christi, & Christus jubetur eas *petere* tanquàm *propriam* ac privam *hæreditatem*, quæ jure ipsum spectat, & ad illum tanquàm Filium unigenitum pertinet; constitutus simul quoque est *caput* & λυτρωτὴς *redemtor* ac *assertor* illius hæreditatis, & illorum omnium, qui

per-

pertinebant ad regnum sibi a Patre testamentariâ dispositione dispositum; at verò Filius se stitit ad faciendum voluntatem Patris sui, atque ad procurandum causam eorum, quos ipsi dedit Pater. Ex quo pacto Patris cum Filio ac Testamento, veluti necessarium ejus consequens fluxit hoc etiam, quod Filius cum esset ἐν μορφῇ Θεȣ̃ *in forma Dei*, ἑαυτὸν ἐκένωσε *seipsum exinanivit*, Μορφὴν δούλȣ λαβὼν *formam servi assumens*, & submittens se se legi usque ad *mortem*, & quidem mortem maledictam *crucis*, ut ita eos qui ipsi a Patre dati sunt liberaret a maledictione, hocque pactô eos assereret in potestatem suam, atque liberos pronunciaret ab omni alienâ potestate cui suâ culpâ obnoxii ac intricati erant. Hæc & similia talia sunt tàmque augusta ac magnifica, ut nullus eorum auctor atque causa primaria esse possit, præter Deum summum, eumque sapientissimum ac potentissimum; quippe de quibus jure meritòque prædicari potest illud divi Pauli, quod ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπȣ οὐκ ἀνέβη *oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascenderunt* 1 Cor. 2: 9. Quandoquidem etiam postquàm revelatum est, & ubi revelatum est, nihilominus tamen manet μυστήριον, eodem divino viro teste 1 Tim. 3: 16. Sed ut ut illud verum sit quod Scriptura talia dogmata pandat, quæ propter excellentiam suam nulli præter Deum adscribere fas sit, attamen Scriptura Sacra ex abundanti quasi, non cessat innumeris penè locis testari, se totâ quanta est, esse θεόπνευστον *divinitus inspiratam:* uti in hanc rem perexímia sunt loca, tùm divi Pauli, 2 Tim. 3: 16. hunc in modum inquientis. πᾶσα γραφὴ (intelligit Scripturam tùm Veteris, tùm Novi Testamenti) θεόπνευστος *tota Scriptura divinitùs inspirata est*; tùm sancti Petri, 2 Pet. 1: 21. Οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπȣ ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίȣ φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεȣ̃ ἄνθρωποι. Unde Paulus non erubescit tale perhibere testimonium de illis, qui *sermonem* ab ipso auditum ex-

 cepe-

ceperunt, illos non *ſermonem hominum*, ſed *Dei* excepiſſe 1 Theſſ. 2: 13. Verùm ut cætera quæ huc facerent ſponte omittam, hoc unum hîc notari velim, quòd erit (ut ſolet dici) inſtar omnium: quod Prophetæ, ferè ad unum omnes quotquot fuerunt in V. T. ſuis Prophetiis inſignem illam rubricam, atque argumentum illud perilluſtre Divinitatis, ſuæ Prophetiæ præmiſerunt ויהי דבר־יהוה אלי *Verbum Jehovæ fuit ad me.* item ויאמר יהוה אלי *Dixit Jehova ad me:* uti illud videre eſt, Jer. 2: 1. Ez. 8: 1. & aliis in locis. Quô haud dubiò inſinuare ac indicare voluerunt, quod ea, quæ ipſi in ſequentibus loquerentur non niſi Deô, & quidem qui eſt Jehova, dictante loqui, & ſe adhoc aſſumptos eſſe ut fierent fidi miniſtri, indices ac præcones voluntatis divinæ, atque adeò ipſorum verba, dicta, non eſſe accipienda ad eum modum, quô nuda hominis verba accipiuntur; ſed ut verba Dei non ſolùm, ſimul etiam ut *Jehovæ, qui eſt*, & *qui eſt id quod eſt, quive futurus eſt id quod eſt*: denique quod ſe in hac illuſtri ac magnificâ operâ nihil propriâ induſtriâ, propriis viribus præſtare poſſe, nihilve ex ſui cerebri figmentis proferre, atque eorum quæ dicunt, & loquuntur, ipſos non eſſe cauſam, verùm ſe eſſe tantùm amanuenſes atque inſtrumenta quædam in manu Dei, quibus Deus utatur ad erudiendum homines alios de voluntate ſuâ, deque via ſalutis, ac modô quô homo & quidem miſer peccator, ad communionem jucundam ac beatam Dei pervenire poſſit, ac ipſô æternum ad ſatietatem frui.

§. XXXVI. *Porrò* & illud manifeſtum ac indubitatum eſt, quod doctrina illa, quam Scriptura Sacra ſuô ſinu amplectitur, prout tota quanta eſt, a Deo ente perfectiſſimo ac ſummo eſt; pariter tota quanta eſt, apta nata eſt ad illuſtrandum ac deprædicandum Dei gloriam, majeſtatem, dignitatem, atque adeò virtutes ac perfectiones divinas, quæ ſimul atque in complexo ſumptæ conciliant Deo

illud gloriæ pondus, (si fas ita loqui) quô cunctis rebus supereminet, easque immensô valore excellit, simulque docet & quasi ad ravim usque ingeminat, quod cuncta, quæ amplissimus ac universus terræ orbis diviti suô sinu complectitur, non solùm causam efficientem ac principem habeant Deum: verùm etiam illa ita ad Deum æstimandum, celebrandum, laudandum facta ac formata esse, ut omnia prompta ac parata sint ipsius summè reverendam *gloriam*, *laudes*, *virtutes*, *perfectiones* enarrare ac celebrare. *Sive* enim spectentur ac considerentur *opera* ejus *anima rationali*, vel ut cum Poëta loquar, *Cœlesti illa scintilla*, destituta; ut sunt *Cœlum*, *Sol*, *Luna*, *Stella*, *Terra*, *Maria*, *&c.* certè de iis luculentissimè testatur Sacra Scriptura, quod ea facta atque ficta sint ad illustrandum gloriam Dei. Psal. 19. ubi inquit divinus vates השמים מספרים כבוד־אל *Cœli enarrant gloriam Dei.* Quanquàm enim hîc per Cœlum possit etiam aliud quid intelligi, nempe Cœlum Ecclesiæ N. T. ac Veteris, nihilominus tamen illud prius eô ipsô negatur: item Psal. 148. in quo toto, in eo est Propheta, ut cuncta Dei opera tàm naturæ quàm gratiæ, tàm rationalia quàm irrationalia excitet, ad Deum celebrandum. &c. Sive opera anima *rationali* ac *cogitante* prædita: ut sunt *Angeli*, *Homines*, de hisce etiam penè passim traditur, quod ea formata ac facta sint ad Deum tanquàm unicam suam causam non tantùm, sed & ut summum ac perfectissimum bonum, agnoscendum, amandum, æstimandum, celebrandum, laudandum, dictis ac factis glorificandum, illumque unicè ceu exemplar nobilissimum omni virium contentione imitandum, nihilque magis deceat Angelos ac homines, quàm solius Dei celebratio ac glorificatio; quippè cujus communione ac fruitione possunt reddi beati ac felices: Unde de *Angelis* dicitur non solum quod *filii* ipsius, ac *spiritus ministratorii* sint, verùm etiam quod ipsum laudent, Psal. 148: 2. *Laudate eum omnes Angeli ejus:*

 De

De *hominibus* quoque paria testatur, quandò docet, quod *omnis qui* inter homines vult *gloriari*, *in eo glorietur*, *si intelligat* & *cognoscat Deum*, Jer. 9: 24. coll. 1 Cor. 1: 31. Nec non quandò docet, quod homines, si boni viri audiri volunt, debeant Deum *glorificare tàm corpore quàm Spiritu*, idque non solùm certô aliquô tempore, & quibusdam tantùm actionibus, sed omnibus tàm edendo quàm bibendo: 1 Cor. 10: 31. Et ut verbô omnia complectar, sive considerentur opera *naturæ*; ut sunt *creatio*, *conservatio* & *gubernatio*; sive opera gratiæ: ut sunt, hominis *electio*, *vocatio*, *redemptio*, *sanctificatio*, *justificatio*, *glorificatio*, & quæ huc pertinent, de his inquàm omnibus talia docet illa doctrina, quàm scriptura sacra nobis offert, quæ apta nata sunt ad Deum glorificandum, virtutes ac perfectiones deprædicandum; quæ quia omni scripturam attentâ ac castâ mente legenti ubique sunt obvia, prolixiùs heic loci illius demonstrationi non immorabimur; hæc saltem loca addemus. Es. 40: 26. & seq. Psal. 145: 10 11-- Eph. 1: 5. 6. & seq. in quibus duobus prioribus scripturæ locis, uti manifestè exponitur ac docetur, quod omnia, quæ *oculi nostri videre* possunt, creata sint a Deo, illumque habeant pro unica vera ac primigenea causa; ita paritèr luculentissimè docetur & illud, quod omnia opera debeant celebrare, laudare Jehovam ejusque gloriam prædicare: in ultimo verò illo loco tota salutis, redemptionisque nostræ ratio exponitur, & quidem ita, ut non solùm exponatur nos *prædestinatos adoptatos*, *redemptos*, *ad sortem adscitos* esse; verùm etiam simul finis indicetur, cur nos tantorum bonorum participes facere Deus voluerit, ut scil. simus *laudi gloriæ ipsius* sive *ad laudem gloriosæ suæ gratiæ*; agnoscendo nempe eam, ac æstimando, honorando, celebrando, laudando &c.

§. XXXVII. *Dein*. Passim Scriptura Sacra tàm eximiam, tàmque perfectam ac integram omnibus suis partibus doctrinam

nam proponit, quæ tùm Divinæ essentiæ ac naturæ, tùm perfectionibus atque virtutibus divinis omnibus numeris appositè convenit, atque adeò quæ verum ac unicum Deum verè notificat ac manifestat; quod usque adeò verum est, ut nullus de eo, qui vel saltem in augustissimo ac cœlesti hoc palatio, (sacra nempe Scriptura) prima vestigia legerit ac primos gressus fecerit, ambigere possit. Itaque paucis lustremus tùm ea, quæ de *essentia ac natura divina*, tùm ea, quæ de *perfectionibus divinis* pandit Scriptura. Cùm ergò Scriptura asserit Deum esse *πνεῦμα Spiritum*, Joh. 4: 24. coll. 2 Cor. 3: 13. & Christo docente certùm sit *πνεῦμα Spiritum carnem* & *ossa non habere*, adeòque nihil *corporei*, verbô nullam extensionem in *longum*, *latum* & *profundum extensam*: manifestè inde patet, quod, quandò Scriptura Deum *πνεῦμα* vocat, eô nihil aliud significetur ac notetur, quàm hoc, quod Deus sit *mens* & quidem *perfectissima*, atque adeò *substantia* perfectissimè *intelligens*; unde dicitur quod לתבונתו אין מספר *intelligentiæ ejus non sit numerus* Psal. 147: 5. Quod quid aliud est quàm hoc, quod non sit imperfecta intelligentia atque imperfectus intellectus ejus; nam id quod numerabile est, finitum est, & quod finitum est, imperfectum; imperfectum verò de Deo prædicari non potest: *perfectissimè volens* h. e. cujus jussui ac nutui omnia morem gerere coguntur, unde etiam Scriptura Sacra hoc elogium de illa prædicat, quod *omnia voluntate ipsius sint*, & *creata sunt*, Apoc. 4: 11. & quod nullus *voluntati ipsius resistere* possit, Rom. 9: 19. *atque adeò* cujus essentia ac natura in perfectissima consistat cogitatione. Quò respectu etiam Sacra Scriptura pluribus in locis Deo tribuit *cogitationes*, inter alia (ut ne multa recenseam) videri potest locus in hanc rem pereximius, Esa. 55: 8, 9. *Cogitationes*, inquit Deus, *meæ non sunt ut cogitationes vestræ*, & *cogitationes meæ suprà vel præ cogitationibus vestris*. Quibus verbis Deus innuit se esse mentem atque

sub-

ſubſtantiam talem, cujus eſſentia ac natura conſiſtat in cogitatione, & quidem tali cogitatione, quæ infinitis gradibus perfectione ſuâ ſuperet cogitationes hominum, neque iisdem cancellis ac limitibus circumſcribatur quibus hominis cogitatio, atque adeò quæ ſit perfectiſſima, nulliqueignorantiæ obnoxia. Denique ſi *perfectiones* divinæ conſiderentur; ut ſunt *Omniſcientia*, *Omnipotentia. Independentia*, *Simplicitas &c.* de iis quoque tàm ſobria tàmque hiſce perfectionibus appoſitè convenientia tradit doctrina in Sacra Scriptura contenta, ut nihil illis æquiora excogitari queant. *Omniſcientia* eſt illa perfectio Dei entis perfectiſſimi, mentis perfectiſſimæ, quâ omnia ſcibilia ac poſſibilia vi ſuæ potentiæ exactiſſimè novit, eorumque tàm certam habet ſcientiam, ut nihil extra illum aut eſſe, aut concipi poſſe queat, cujus non *certiſſimam* ac adæquatam omnimodè habeat ſcientiam, atque adeo quod non videat in unica ac perfectiſſimâ ideâ: cùm enim Deus *ſumma* ſit adeoque omnimodè *infinita mens*, mens verò abſque conſcientia ſui, eſſe & agere, nec eſſe nec concipi poſſit, neceſſariò Deus ſui ſuarumque actionum ac perfectionum ſuarum ſummam atque infinitam, ſuæque potentiæ illimitatam prorſùs habet ſcientiam, hinc etiam Scriptura Sacra teſtatur quod *nota ſint Deo* ἀπ' αἰῶνος πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ *ab ævo ſive a ſeculo omnia opera ejus*, Act. 15: 18. & quod nihil ſit coram ipſo ἀφανὲς *obſcurum* vel rectiùs *non manifeſtum*, ſed omnia γυμνὰ nuda & τετραχηλισμένα in *cervicem reſupinata* aut *intime patentia.* Heb 4: 13. quique ſolus audit *ſcrutator renum ac cordium* h. e. qui ſolus habet certam ac adæquatam ſcientiam eorum, quæ in mentibus noſtris geruntur, Jer. 11. 20. coll. Apoc. 2: 23. *Omnipotentiam*, h. e. illam ſummam atque infinitam voluntatis divinæ perfectionem, quâ Deus, ſe ipſum adæquatè cognoſcens, ut ens infinitum, perfectiſſimum, veriſſimum; per conſequens ſummum atque infinitum bonum, perfectiſſimo atque ineffabili

ſibi-

ſibique quàm convenientiſſimô modô in ſe ipſum, ut talem, qualem ſe eſſe & eſſe debere percipiebat, fertur, & in ſe ut tali perfectiſſimè deliciatur, quæque ſimul omnia extra ſe, quæ decentèr ac convenientèr ſuis perfectionibus fieri in quocunque ordine poſſunt ad gloriam ipſius teſtandam, facere & poteſt & facit: hanc inquàm omnipotentiam Scriptura Deo pluribus in locis vendicat, inter alia (ut ne omnia referam) inſignia ſunt loca divi Pauli, ad Eph. 3: 20. & ad Rom. 4: 17. in parte ultima, ubi *ejus potentia* ab inſigni ac ſingulari charactere *deſcribitur*, a *vocatione* nempe, quâ vocat τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα *ea quæ non ſunt tanquàm ſi eſſent:* cui conſonum eſt illud quod Propheta dicit, Pſal. 33: 9. *Quia ipſe dicit & erit, ipſe præcipit, mandat & exiſtet.* Paritèr *independentiam*, quandò nimirùm Deo adſcribit *talem perfectionem*, quâ poſſit omnia liberrimè ex conſilio non ſolùm voluntatis ſuæ agere, verùm etiam ſecundùm placitum ſuum, Pſal. 115: 3. item Eph. 1: 11. Certè qui dependet ab alio non *agit* omnia *ex conſilio* ſuo, ſecundùm placitum ſuum, ſed *ex conſilio* ejus ac præſcriptô a quo dependet, *non ſecundùm placitum* ac *lubitum* ſuum, ſed ſecundùm *placitum* ac *lubitum* illius a quo dependet, ut ita in omnibus ſuis dictis ac factis poſſit illi complacere; quæ cùm ſummam in Deo arguerent imperfectionem, de illo nullô pactô prædicari poſſunt, & per conſequens Deus eſt ſummè independens non tantùm, ſed & omnia a nutu ac voluntate ipſius dependent. Ex quibus (ut alias virtutes ac perfectiones Dei hîc omittamus) patet, Scripturam Sacram talem nobis doctrinam pandere, quæ tùm eſſentiæ, tùm perfectionibus ejus maximè ſit conſentanea ac concinna.

§. XXXVIII. *Præterea.* Illud ratum ac firmum eſt, quòd nimirùm Sacra Scriptura ejusmodi doctrinam nobis propinet, quæ de magnificis manuum Dei potentiſſimarum operibus, puta de *omnium rerum* primigeneâ *origine*, ea-

 rum-

rumve *naturâ*, *usibus*, *fine*, *ordine*, *nexu* ac venustâ inter se se *harmoniâ*, ea docet, quæ tali Deo, talique causæ summè perfectæ, a quali res illæ *se*, totæ quantæ sunt, *suum* esse ac suas perfectiones accepisse, plenô atque unô ore clamant, sunt digna ac apprimè convenientia; ita ut de eo nullus ambigere possit, nisi is, cui non est sanum sinciput, vel qui nunquam paululùm operæ impendere dignatus est scrutinio ac examini illius doctrinæ; verùm eam tanquàm otiosus aliquis atque homo nullius frugi, homo nauci contempsit ac posthabuit. Utique si ea penitiùs ac accuratiùs considerentur, quæ de *origine universi hujus*, penè in omnibus suis partibus, *tradit Scriptura*, ea *reperientur Deô* primâ omnium rerum origine *digna*; quippè quæ universo huic adscribit certùm aliquod initium, atque exordium, quô omnes res esse cœperunt, & ante quod non nisi merùm nihil fuerunt; proindeque non esse æternas, non esse necessariò existentes, sed novitias, principiô ac exordiô gaudentes; illud verò initium ac principium quô esse cæperunt unicè & in totùm Deo acceptum ferre debent. Quid enim eô convenientiùs Deo enti summè perfecto, causæ omnium rerum? quid operibus illius magis congruum quàm si omnium origo, essentia, subsistentia a cuncta moderante Deô repetatur? Adiri possunt loca huc spectantia. Gen. 1: 1. Es. 41: 4. ubi dicit Deus *se principium & finem esse*, hoc est, se esse a quo, ex quo, per quem, & ad quem sint omnia, Psal. 33: 6. *Verbo Jehovæ Cœli facti sunt* (id hîc observandum: quamvis plurimi ex Doctis per *verbum* intelligant τὸν λόγον ἐκεῖνον *sermonem illum* qui ἐν ἀρχῇ ἦν *in principio erat*, & per quem πάντ' ἐγένετο *omnia facta sunt*, Joh. 1: 1. & 2. nihilominus tamen non erimus absurdi, si per *verbum* intelligamus potentem illam jussionem & vocationem Dei, quâ vocat τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, Rom. 4: 17.) *Usum* verò ac finem rerum quod attinet, ita eos vivis coloribus depingit Scriptura Sacra, taliaque de iis testatur, quæ

sunt

sunt sana ac æquua; siquidem pluries quàm sexcenties inculcat, oportere nos & debere omnibus qui *temperanter*, ad finem rebus illis dignum, gloriam nempe Dei, unde frequentissimè audimus illud inculcari. *Omnia facite ad gloriam Dei. Cœli enarrent gloriam Dei. Glorificate* Deum *omnia opera manuum ejus*; & similia talia: & *omnia* sunt *ad ipsum facta* h. e. ad *gloriam* atque adeò *perfectionem* ipsius deprædicandam, Rom. 11: 36. Præterea non solùm essentiam ac naturam rerum a Deo esse testatur, verùm simùl quoque docet eas ita ab ipso sustentari atque conservari potentique manu teneri, ut nihil sit quod sine ejus sapientissimâ gubernatione ac conservatione subsistere vel ad momentum queat, undè *omnia dicitur verbô potenti portare*, Heb. 1: 3. Ex hisce omnibus clarùm est, quàm sana, quàmque apprimè convenientia Deo doceat Scriptura Sacra de omnibus ejus ποιήμασι *facturis*, ut nihil sit in iis absonum, nihilque summis ipsius perfectionibus contrarium, sed omnia ita sint disposita, ut enarrent ejus gloriam.

§. XXXIX. *Insupèr.* Nec illud latet eos, qui paulò diligentiùs ac attentiùs augustum illud sapientiæ cœlestis palatium, Scripturam nempè, perlustrarunt, quòd Scriptura sacra talem nobis porrigat doctrinam, quæ nullâ sui parte, cum notionibus simplicibus atque communibus, cum axiomatis atque primis veritatibus naturâ notis, cum dictaminibus conscientiæ ac rationis, pugnet iisque contrarietur; quin potiùs cum illis ceu primis quibusdam principiis ac normâ omnis veri ac falsi, recti ac pravi, justi ac inqui, boni ac mali amicabilem ac suavem summoperè colat concordiam, adeò ut inter ea, quæ summus ac sapientissimus omnium rerum opifex nos scire voluit ope luminis conscientiæ ac rationis, simùlque inter ea, quæ idem ipse opifex scire voluit per cœleste illud lumen, Scripturam nempè sacram, nulla sit inimica atque hostilis pugna; sed in omnibus divina

penitùs consensio atque admiranda conspiratio: hinc audimus & videmus Scripturam sacram crebram facere mentionem *conscientiæ* ac *legum* illi insculptarum non tantùm: uti videre est, Rom. 2: 15, 16. verùm etiam docere, omnem *demonstrationem veritatis* h. e. Evangelii atque adeo veritatis quæ in Christo est, *debere* fieri ac institui ad *conscientiam* & quidem *omnium* hominum, 2 Cor. 4: 2. (quem locum quia in prima parte nostræ Dissertationis prolixiùs excussimus, eò relegamus lectores) item Spiritum Dei auctorem ac dictatorem unicum sapientissimum Scripturæ sacræ, sive illius doctrinæ quam Scriptura nobis offert, unà cum *spiritibus nostris testari nos esse filios Dei*, Rom. 8: 16. id verò quî fieri posset, si ea, quæ Scriptura sacra tradit de Deo, de amore ejus, de modo ipsum amandi, atque de remuneratione illius amoris, adversâ fronte contrariarentur iis, quæ de eodem Deô tanquàm summô bonô, amore & omni quæsitione dignô, innatæ ac simplices ideæ, notiones, docent, ego saltem videre non possum? Utique Spiritûs Sancti operationes non destruunt ac evertunt nostræ mentis naturam, verùm eam sartam ac tectam relinquunt; atque adeò fiunt convenientèr naturæ nostri *intellectûs*, nostræque *voluntatis*, quæ duæ facultates absolvunt mentem, (uti alibi visum est) nisi enim id fieret nequaquam posset mens nostra ea capere, quæ a Spiritu Sancto ipsi proponuntur, si autem capere non posset, non posset idem testari ac docere, quod docet atque testatur Spiritus Sanctus; debet ergò fieri inter hos duos testes amicabilis ac jucundus consensus, ut idem & testari & docere possint. Et rem hanc ita debere se habere tàm certum tàmque manifestum est, ut nemò eam in dubium vocare deque ea ambigere possit, si modò ad justam rationis trutinam revocaverit saltem id unum, scilicet quoties, & quàm frequentissimè scriptura sacra, sive potiùs Deus & *Spiritus Sanctus*, in ea loquentes invitent nos ad *auditionem* verbi Dei, ejusque debitâ

bitâ cum reverentiâ *receptionem*, quoties inculcent Sancti Dei viri, Prophetæ & Apostoli; *omnia probate, quod bonum est retinete. Vobis ut intelligentibus loquor, ipsi judicate*; at verò quomodò possemus illud verbum audire si non haberemus mentem? & mentem habentes quomodò illud recipere si adversâ fronte pugnet cum dictaminibus mentis ac conscientiæ? atque adeò cum innatis ac simplicibus notionibus ac ideis? multò magis quomodò illud judicaremus esse tale bonum quod nos perficiat, cùm non consentiat cum natura mentis nostræ? id fieri posse si dixeris protinùs prodes tuam ignorantiam de mente, ejus naturâ ac facultatibus, *intellectu* ac *voluntate*. Hinc patet quàm vesani ac stolidi, nec non injurii sint illi homines, tùm in Deum, tùm in cœlestem illam doctrinam, quam Scriptura suô ambitu complectitur, tùm in Spiritum Sanctum, tùm in conscientiam tàm suam quàm aliorum, qui præfractè audent asserere Scripturam posse contraria docere iis, quæ conscientia probè excussa nos docet; quia eô ipsô statuunt Deum, qui semper sibi similis est, posse sibi contrariari ac adversari, adeò ut quod unô locô de se verè & congruentèr suæ essentiæ suisque perfectionibus testatus est, alterô locô illi totô cœlô contrarium testetur. Id equidem & nos ipsi fatemur, quod Scriptura tàm magnifica tàmque sublimia dogmata nobis possit revelare, & de facto revelet, quæ in *mentem hominis non venerunt*, (ut cum Paulo loquamur) & quæ *oculus non vidit, nec auris audivit* ante id tempus, quô illa revelari cœperunt; nihilominus tamen & id fatemur, quod ea etsi talia sint, eô ipsô non contrariantur dictaminibus conscientiæ: non enim omne id, quod superat acumen atque activitatem conscientiæ nostræ, contrariatur ipsius naturæ, sed tantùm id, quod evertit ac destruit ipsius naturam.

§ XL. *Cæterùm* Id quoque extrà omnem dubitationis aleam positum est, quòd doctrina illa, quæ in Scriptura

Sacrâ reperitur, talia doceat de hominum *origine*, *naturâ*, *ſtatu*, *fine* ac *deſideriô*, quæ tùm Deum ſingulari modô decent, tùm verò ab omnium noſtrûm conſcientiâ approbantur. Quantùm ad *originem* hominis, eam graphicè depingit nobis Scriptura Sacra, cùm hominem recentèr ex manu Dei prodeuntem ac egreſſum, quô *melius cœleſtem* originem referret ac dignum Deo opus exiſteret, nec non *mundi melioris origo*, dicit, ad *imaginem* ac *ſimilitudinem* Dei fuiſſe creatum, atque adeò *rectum*, quæ rectitudo præcipua ejus gloria eſt, quâ reliquis creaturis ac *ποιήμασι factu-ris* manuum Dei longè ſupereminet, utpotè quæ illa cœleſti gloriâ ac divinô ſplendore non ſunt beata. Inſignia in hanc rem ſunt loca, Gen. 1: 26. 27. ubi SacroSancta Trinitas, tanquam unica cauſa hujus admirandi ac glorioſi operis, ita ſe compellat. נעשה *Faciamus hominem ad imaginem noſtram ſecundùm ſimilitudinem noſtram*, hoc eſt, quaſi dixiſſet Deus, eccè cuncta, quæ decreveramus ac definiveramus facere ac creare, jàm fecimus & creavimus, verùm adhuc unum ſupereſt faciendum, ſine quô omnia fruſtrà facta ſunt, id verò tale debet fieri quod gerat imaginem ac ſimilitudinem noſtram; agedùm itaque faciamus illum, hominem nempè, qui habeat *imaginem noſtram* h. e. qui habeat mentem ſicut nos ſumus mens, adeoque ſit progenies noſtra (ut verbis Lucæ utamur) nec non *ſimilitudinem noſtram* h. e. *facultatem* rectè *intelligendi*, *cognoſcendi*, atque *volendi*, *amandi*. Item Eccl. 7: 29. ubi dicitur quod Deus fecerit hominem ישר *rectum*, hoc eſt, aptum ad illum finem quem in homine creandô intendebat: ut ſcillicèt Deum, ceu cauſam primariam ſuæ exiſtentiæ, & exemplar genuinum ſuæ perfectionis, atque adeò ſummum ſuum bonum, quô quoad omnes ſui partes perfici poterat, rectè & cognoſceret & ritè amaret, in qua rectâ cognitione ac rectô amore Dei conſiſtebat hominis rectitudo. Vide & Paulum de hac re differentem, ad Eph.

4: 24.

4: 24. *Naturam* verò hominis quod attinet, eam quoque vivis coloribus depingit, deque ea talia tradit quæ omnibus numeris Deo conveniunt. Audiamus ergò quid ea de re dicat, Gen. 2: 7. inquit Moses: *Finxit, formavit, Deus hominem ex pulvere terræ*, loquitur de corpore ejus, & *sufflavit* sive *inflavit in nares ipsius halitum vitæ*, & *factus est homo animal vivens*, h. e. halitus ille per nares emissus fuit infallibile signum animam, sive *mentem* hospitari in corpore, atque adeò vivere hominem, qui halitus dùm cessat, argumentum est animam non amplius esse præsentem. Huc facit locus Pauli, 1 Cor. 6: 20. in quo jubet *Deum glorificare corpore* & *Spiritu*, unde manifestò liquet hominem duabus constare partibus corpore & mente, atque adeò naturam humanam hisce duabus, totâ licèt essentiâ, proprietatibus, attributis, a se invicem distinctis, partibus absolvi, adeò ut tùm homo possit dici homo, quandò & quamdiù hæ partes in ipso reperiuntur. *Statum* quoque hominis silentiô non præterit Scriptura, verùm de eo tale documentum perillustre præbet, quod is fuerit status *rectitudinis* sive *integritatis*; (uti mox vidimus ex loco Eccl. 7: 29.) nam vox ישר utramque potest pati significationem, tùm rectitudinis, tùm integritatis; siquidem id demùm rectum est quod simùl etiam integrum est. Sed nec *finem* hominis negligit scriptura, verùm illum quoque eximiè describit, quandò eum ad *imaginem* ac *similitudinem* Dei creatum dicit, unde proculdubiò haud obscurè colligere homo sive creatura rationalis poterat, se eô fine præ reliquis creaturis illâ excellentiâ ac gloriâ mactatum esse, ut & cum aliis quidem creaturis enarret gloriam Dei, sed & ampliùs & altiùs ascendat, scilicèt in omnibus studeat similis esse Deo exemplari suo, ejusque virtutes, perfectiones, cogitationibus, dictis, factis exprimat, atque adeò ita quærat beatam ac æternam cum Deo summô suô bonô communionem juxtà ac interminabilem lætitiam. Ex jàm dictis

dictis luculentissimè patet, (quæ & prolixiùs demonstrari ac deduci possent, nisi brevitatis studiô impediremur) quàm sincera, quàmque Deo digna doceat Scriptura Sacra, de hominis tùm origine, tùm naturâ, tùm statu &c. adeò ut nihil illis vel saniùs vel æquiùs excogitari à quoquam mortalium ac fingi possit.

§. XLI. *Denique.* Si quid divinum est, est & illud absque omni dubiò, quòd, doctrina in Scriptura Sacra tanquàm archivô aliquo divinô (si fas sit ita loqui) deposita, de *officiis* hominis, Deo, proximo, rebus aliis quibuscunque debitis, docet, & ad quæ exercenda obligatum esse ac teneri hominem, vi illius *relationis* quam habet ad *Deum*, ad *homines alios*, ad res alias quascunque, usque ad ravim ac nauseam quasi inculcat ac ingeminat. Certè rem sic se habere illicò advertemus, si paululùm id attentiùs ac propriùs consideraverimus, scilicèt ubi Scriptura Sacra docet Deum esse cognoscibilem, ibidem seriò jubet ac mandat, ut homo ipsum cognoscat, atque in ipsius *cognitione* verâ & non alterius *glorietur*, Jer. 9: 23. atque adeò in cognitione *Patris* ceu solius *veri Dei*, & *Jesu Christi quem misit* Pater, quærat *vitam æternam* ac *summam felicitaem*, Joh. 17: 3. Denique cùm proponit Deum ut bonum, & quidem *summum* ac *unicum bonum*, quod non tantùm qualicunque, sed omnimodò ac perfectè hominem quoad omnes sui partes perficere potest, subinde præcipit ipsum amandum esse, *ex toto corde*, *ex tota anima*, *omnibus viribus ac facultatibus*, Matth. 22: 37. Et sanè nihil est convenientiùs naturæ hominis, quam id, quod ipsam quoad omnes sui partes perficere potens est, amare omnibus facutatibus, omnibus viribus, aliaque non nisi in schesi ad illud bonum, in quantùm nempe possunt esse media ducentia ad illud bonum obtinendum cumque eo jucundè fruendum: *porrò* cùm Deum ut summum atque adeò absolutum Dominum ac legislatorem, qui servare & perdere, æternùm mi-

miſeros vel beatos facere poteſt, nobis proponit, tùm nos invitat atque ſeriò hortatur, ad debitum atque humile obſequium tali Domino præſtandum, atque adeò ad tremendam ipſius majeſtatem ac auctoritatem exoſculandam, adeò ut nos in omnibus actionibus, dictis, factis, obſtricti ſimus demonſtrare illum eſſe ſummum & abſolutum Dominum, nos eſſe ſubditos ac ſervos ipſius abſolutos, hoc eſt, tales qui omnibus temporibus, locis, momentis atque vitæ diebus, omnive ſtatu ſubſimus legi ipſius, nihilque agamus ex lubitu ac nutu noſtrô, atque adeò ſecundùm voluntatem noſtram tanquam primariam normam; ſed in totum nos dependeamus a voluntate & nutu ipſius, in omnibus noſtris cogitationibus, dictis & factis, explorantes nempe quid ſit voluntas Domini noſtri, & quid faciendum vel non faciendum ſit, ad placitum voluntatis ipſius, ut ſic inveniamur *boni* ac *beati ſervi, quos Dominus invenit in opere ſuo*, quocunque temporis articulô veniat ad nos, atque adeò prompti ac parati ad *flectenda* ipſi *genua*, & ad ipſius auctoritatem ac majeſtatem confitendam, juxtà illud Pauli dictum, Rom. 14: 11. *Vivo ego, inquit Dominus, quod mihi flectit omne genu &c.* & Eſ. 45: 23. *Præterea* quandò Deum glorioſum, hoc eſt, cunctis rebus infinitis penitùs numeris præſtantiſſimum, pretioſiſſimum coram oculis noſtris graphicè depingit, confeſtim nos provocat ac invitat ad ipſum glorificandum, celebrandum, æſtimandum, laudandum, jubetque ut *gloriam* ipſius, *quam* ipſe *alteri non dat*, quamque nullô unquam pactô patitur ſibi eripi, nos quoque ipſi deferamus, ipſi non eripiamus, adſcribendo eam *idolis mutis*, *Diis nihili* atque *ſtercoreis*; verùm tàm *Spiritu* h. e. mente ſicque *intellectu* & *voluntate*, quàm *corpore* h. e. omnibus membris noſtris ipſum glorificemus, 1 Cor. 6: 20. Dùm ut unicam, perfectam atque conſummatam ſalutis cauſam, in cujus *nomine oportet me ſalvari*, & extrà cujus *nomen non eſt aliud nomen ſub*

cœlo hominibus datum, in quo ſerventur, extemplò jubet, ut nos in ipſo quæramus ſalutem, ad ipſum confugiamus tanquam firmam ac immobilem rupem ſalutis, in cujus fiſſuris contra omnes hoſtium impetus ac rabidos furores, contra quævis minitantis cœli murmura, ſalvi ac incolumes manere poſſumus; ad illum *reſpiciamus* ut *ſalvemur*, Eſ. 45: 22. econtrà verò non ſolùm *vetat nos fiduciam habere in ingenuis atque in filio hominis*, verùm etiam maledictonem intentat illis, qui vel in *brachio ſuo*, vel in alio quocunque homine *ſalutem ſuam* quærunt. Hæc, & his ſimilia, infinita penè numerô pia ac ſancta officia, circa Deum nobis inculcant ſacræ utriusque Teſtamenti literæ; quæ, quia omni legenti & ſeriò meditanti illas literas ſunt obvia, plura hîc non recenſebimus. Æquè ſancta ac pia ſunt illa quoque officia, quæ Scriptura Sacra circa alios ſive proximos noſtros exercere jubet, quandò nimirum illos æquè a Deo creatos eſſe ac nos, ejusdem Dei imaginis ac ſimilitudinis conſortes, ad eundem finem, ad idem bonum amandum, ad eandem felicitatem, factos atque creatos, eandem habere naturam, iisdem ſubeſſe legibus, eidem Domino, docet pluribus; ſimilitèr docet eos *amandos* eſſe & quidem non tantùm qualicunque modo, *ſed ut nos ipſos*, Matt. 22: 39. coll. Gal. 5: 14. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτὸν *Diliges proximum tuum ut te ipſum*. Quod præceptum, vel officium proximo debitum, tàm latè patet, & tàm ampliſſimâ gaudet ſignificatione, ut complectatur omnia illa in quibus quocunque modô proximum levare ac juvare poſſum, ſive in corporalibus, ſive in ſpiritualibus, ex adverſo verò cuncta ea vetet in quibus, & quocunque tandem modô ipſi nocere poſſum, vel eripiendo ipſi vitam, vel bona corporalia, quibus ceu mediis vitam ſuam corporalem ſuſtentat; vel ſpiritualia, ipſi ſubminiſtrando talia dogmata, quibus receptis privatur vitâ ac gaudiô ſpirituali. Rebus inſupèr aliis quibuscunque, quæ extra nos ſunt, docet

cet

cet utendum eſſe ad gloriam Dei, proximi ædificationem, & ſalutem noſtram, atque adeò cunctis ita uti, ut ſint ea media apta ad communionem Dei ducentia, atque adeò ad finem illum cui nos Deus, tanquàm progeniem ſuam, deſtinatos eſſe voluit, ſcilicèt ad cœleſtem beatitatem. Ex quibus jam liquidò patet, quàm Divina, quàmque Sancta ac Sacra dogmata pandat Scriptura de officiis noſtris, Deo, hominibus aliis, atque rebus qnibuſcunque debitis, adeò ut nihil in illis ſit, quod vel Deus ſummus rerum arbiter, vel homo ejusve conſcientia, non approbent, atque ſarta tectaque non relinquant.

§. XLII. *Porrò.* Nihil familiarius Sacræ Scripturæ eſt eô, quòd homo quidem recens ex divinâ ipſum formantis ac fingentis manu egreſſus, haud potuit creari ſint imagine ac ſimilitudine ſui factoris ac formatoris (uti ſuprà vidimus) verùm ipſum non multô poſt creationis tempore a ſuâ iſta origine primigeniâ turpitèr deſciviſſe, *plurima ratiocinia* ſibi *quærendo* (quod tempus, ſextum illum diem quô creatus eſt fuiſſe, dicere, ut quidam volunt, ſimplicitati hiſtoriæ utique contrarium eſſe putamus) ſuamque primævam pulchritudinem ſubitò amiſiſſe: qui itaque, cùm mundi *melioris origo*, gloria ac decus exiſtere debuiſſet, ejus ſumma ac præcipua calamitas ac lues exſtitit, Deique creaturas miſerè defœdavit, omnive honore ac ſplendore ſpoliavit, atque adeò ſibi totique poſteritati, humano nempe generi ex illo oriundo, ingentem corruptionem accerſivit, cum quâ hodie adhucdum miſerimè conflictatur univerſa ejus poſteritas; adeò ut ab iſto temporis momento *omne figmentum cordis hominis tantummodò malum ſit*, penitùsque *inidoneum* ex ſe ad *cogitandum quicquam bonum*, & *quicquid ex carne naſcitur caro ſit*, ſimulque docet luculentiſſimè illius tàm celebratæ corruptionis cauſas, *παράβασιν transgreſſionem* nempe divinorum præceptorum, *παρακοὴν inobedientiam* ſive con-

temptum ſummi ſui Domini ac unici legiſlatoris. Sed quoniam res hæc luce meridianâ clarius proponitur in Scriptura Sacra, non eſt neceſſe ut multis eam argumentis ex ea ſola depromptis demonſtrare ſatagamus. Sufficit hîc allegaſſe locum Pauli ad Rom. 5: 12--19. in quo planiſſimè ac pleniſſimè originem, cauſam, tempus, proceſſum, hujus ingentis corruptionis ac mali exponit ac graphicè deſcribit Apoſtolus Paulus: item notiſſimum illum Moſis Gen. 3. ubi prima ejus initia, incrementum ac progreſſum luculentiſſimè pandit Moſes, adeò ut de eo nullus ambigere poſſit. Et licèt modum, quô illa nunquàm ſatis lamentis ac lachrymis eluenda corruptio in ſeram poſteritatem primi hominis propagatur, non usque adeò clarè ac manifeſtè exponat Scriptura Sacra; nihilominus tamen idcircò neganda non eſt illa veritas quam jam eam docere monſtravimus; ſiquidem imprudentiæ ſignum eſt, dubitare de aliqua veritate conſtante ac manifeſtâ, quia in illâ aliquam obſcuritatem obſervamus; & proculdubiò ſatis firmo ſuperſtruemus fundamentô noſtram fidem, ſi id credamus ita ſe habere eam ob rationem, quia Scriptura teſtatur paſſim hoc ita eſſe, cui etiam ſuffragantem experimur experientiam quotidianam.

§. XLIII. *Ulteriùs:* Et id utramque paginam facit Scripturæ Sacræ, quòd homo ad eum modùm (quem ſtatim deſcripſimus) corruptus atque orbatus cœleſti illô fulgore effigieque cuncta moderantis (ut cum Poëta loquar) Dei, ſubſit æternæ *damnationi* atque adeò *reatui*, inevitabilique judicio ſupremi Legislatoris ac juſti judicis Dei, cujus leges ac præſcripta nefandô auſu neglexit atque transgreſſus eſt, qui neglectus & quæ transgreſſio legum ſummi Domini ac abſoluti Legislatoris, qui ſervare & perdere poteſt, ſecum tulit ingentem illam cataſtrophen ac reatum hominis; ſcilicèt, ut qui antea poterat nominari ישר *rectus* mox propter reatum dicatur רשע / ἀσεβὴς *dignus damnatione*,

ὑπόδικος τῷ Θεῷ *obnoxius Deo*, ἄδικος *injustus*, μιαρὸς & טמא *inquinatus ac impurus*, ὑπὸ κατάκριμα ὢν *condemnationi subjectus* ὑφ' ἁμαρτίαν *sub peccato*, ἐχθρὸς τοῦ Θεοῦ *inimicus Dei*. Δικαίωμα τοῦ Θεοῦ *est flagitatio justitiæ Dei*, *quod* qui mala faciunt ἄξιοι θανάτου εἰσὶν *digni sunt morte*, Rom. 1: 32. quique antea poterat dici ברוך *benedictus*, mox propter reatum ac damnabilitatem ארור *maledictus* dicatur simul cum terra, cujus proventum cum *dolore* debebat *comedere omnibus diebus* vitæ suæ; qui dicebatur imaginem ac similitudinem Dei portare, nunc dicatur *filius iræ* γέννημα ἐχιδνῶν *progenies viperarum*: qui נפש חיה *anima vivens* nunc *mortuus in peccatis*. אנוש *miser*, *ærumnosus*. Unde etiam post id tempus homo a Deo nihil nisi ingens pondus æternæ miseriæ, excandescentiæ ac iræ divinæ tristia monumenta, atque adeò pœnarum innumera simulacra expectare potest; siquidem æquum ac justum est, ut qui leges summi Domini ac absoluti legislatoris, æternum bonum eas diligentèr observantibus promittentes violat ac nefandò ausu transgreditur atque contemnit, is experiatur propriô malô ipsôque actû, & quidem in æternum, quid sit contemnere ac transgredi summi Domini ac absoluti legislatoris legem, quid sit rebellare contra Deum ac turpitèr deficere ab auctore atque fonte omnis boni, omnisque felicitatis, lætitiæ ac jucunditatis. Et sanè alitèr fieri nequit, quàm ut eum, qui se a luce avertit, confestim ingentes nebularum ac tenebrarum procellæ obruant ac opprimant; quàm ut is, qui nolit cuique volupe non est insigniri nomine filiorum lucis atque adeò Dei, vocetur filius tenebrarum atque Diaboli; quique repudiat Spiritum *filiationis* ac *consolationis*, ut is accipiat *Spiritum formidinis* ac *timoris*; & cui cordi non est in cognitione viarum Dei deliciari, ut eum sinat Deus incedere in viis suis.

§. XLIV. *Præterea.* Læta sunt atque salutifera miserrimo reatuique obnoxio peccatori ea quoque, quæ Sacra

 Scriptu-

Scriptura de gratiâ divinâ misero ac damnabili peccatori faciundâ passim tradit, quòd Deus pro sua summa perfectione ac *δυνάμει potentiâ* atque *facultate*, quâ pollet, non solùm potens sit facere gratiam misero ac indigno peccatori citra ullum ipsius meritum, verùm etiam quod *velit* actu *esse Deus*, *Deus peccatoris*, *modumque* simul atque adeò *viam* uberrimè delineat, quômodô velit fieri Deus peccatoris, & quâ viâ rursùs ipsum ad sui communionem beatam ac æternam non tantùm admittere, sed simul etiam actu Spiritûs sui in ipsis efficacitèr operantis gratiâ adducere, ac proindè primævam illam amicitiam, ruptúmque turpitèr per peccatum *fœdus pacis* denuò redintegrare ac restituere. In hisce verò ita defungitur Scriptura Sacra, ut id unicè sibi tanquàm privum ac proprium sumat, hacque in parte (ut & in aliis plurimis) omnium Sapientum mundanorum industriam ac sagicitatem vincat. Licèt enim mundus ab omni ævo plurima fecerit, quæ pereximium Sapientiæ titulum præ se ferrent, nihilominus tamen omni studiô non est inventum atque erutum, licet eruerentur abstrusissima, quâ ratione placaretur Deus ac rediret in mutuum amorem hominis peccatoris, aut spes vitæ æternæ obtineretur. Posthabitis ergò omnibus humani cerebri figmentis ac circa hæc variis inventis, Scriptura Sacra ceu celebre quoddam archivum hujus magni mysterii adeunda atque consulenda est; ea enim graphicè ac copiosissimè depingit ac explanat illustria *Dei*, circa salutem hominis miseri ac peccatoris laborantis opera, *consilia* ac *molimina*; *Mediatorem*, omniaque ipsius decora ac in genus humanum merita, beneficia; *fidem* ceu instrumentum ac medium nobilissimum, quô amplectimur ac recipimus mediatorem iique nos unimus, & ita ipsi uniti simul unimur cum Deo: *Spiritum Sanctum*, fidei istius unicam ac veram causam, atque ita viam ad salutem æternam: undè frequentissimè audimus Scripturam loquentem, modò de *consilio Dei*

gratioso, modò *de fœdere* ac *Testamentô gratiæ* idque æternô, hoc est, de illo Dei proposito sive immutabili voluntate, quâ Deus constituit dare hæreditatem atque bona sua certis quibusdam hæredibus, sub certis conditionibus ea adeuntibus, & quidem in *Christo* tanquàm Mediatore illius fœderis: unde crebra in hac materia *mentio Christi*, *Seminis ipsi dati*, *hæreditatis* ipsius, *filiorum* ipsius; *Mediatoris*, *Fœderis* ac *Testamenti gratiæ*, qui est medius inter duas partes dissidentes ad eas reconciliandas, per interpositionem vitæ ac sanguinis sui innocentissimi effusionem; quem variis nominibus insignit Scriptura, vocat גואל *vindicem* sive *assertorem*, qui scilicet vi consanguineitatis habet jus asserendi bona suorum fratrum propter eorum paupertatem ac miseriam in potestatem alterius devoluta ac deventa, mox μεσίτlw *mediatorem*, *Angelum faciei*, *Interpretem* unum ex *mille*, *advocatum*. huic tractatui subinde adjungit Scriptura tractatum alium nobilissimum de *sponsione fœderis gratiæ*, hoc est, de pacto illo quod intercessit Patrem inter & Filium, in quo *Pater* Filium dat ac constituit λυτρωτlw & caput populi præcogniti, Filius vicissim se se sistit ad ἀπολύτρωσιν populi illius peragendam; præterea in quo Pater stipulatur a Filio *assumptionem naturæ humanæ* ex semine mulieris, ac induitionem *formæ servi*, atque in ea obedientiam usque ad *mortem* & quidem *crucis*, simulque ipsi repromittit semen spirituale, hæreditatem, regnum; Filius verò se se sistit ad faciendam Patris voluntatem, atque altrinsecùs restipulatur salutem sui ipsius & populi sibi e mundo dati; non tacet de ejus promulgatione ac notificatione, quæ primò primùm facta est in illa prima promissione, Gen. 3: 15. tùm Noacho, tùm Abrahamo, Gen. 12-- neque de ejus subjectis, quæ nominat ac vocat semen benedictum, filios promissionis, Rom. 9: 8. 9. neque de medio, quô isti filii promissionis ac fœderis conjungunt se cum Patre & Filio, quod est *fides* in

Chri-

Christum & per Christum in Patrem, Rom. 4: 17. & Cap. 5: 1, 2. neque de eventu ejus, qui est *pax hæredum* cum Deo, salus ac æterna beatitudo animarum; verbô itaque locupletissimè exponit modum ac viam, quô-modô & quâ viâ fit *Deus, Deus peccatoris*. Omnia autem quæ de hac re passim dicit, ad certa hæc capita possunt revocari, ad *Auctorem* pacis, justitiæ ac reconcilationis cum Deo, qui est semen mulieris atque semen Abrahæ; ad *Modum* sive medium restaurandæ pacis, justificationis ac reconciliationis, quod est fides producta in cordibus fidelium per Spiritum Sanctum, ad *Haredes* justitiæ, qui sunt omnes gentes, tàm Judæi quàm Græci absque ullo discrimine, quarum Abrahamus declaratur pater, Gen. 17: 5. coll. Rom. 4: 17, 18. At verò cuncta hæc ita pertractat Scriptura Sacra, ut nihil in illis reperiri queat, quod non sit decorum vel Deo vel homini, & quod non habeat adstipulantem in omnibus conscientiam, quodque ab homine seriò ac diligentèr ad id attendente luculentissimè ac clarissimè possit intelligi, adeò ut omnis laus tandem ex isto magnificô ac augustô opere ad Deum redeat, qui futurus est *admirabilis ac gloriosus* in iis omnibus, qui salutem sunt hæreditaturi, atque adeò qui sunt genuini filii ac sinceræ partes regni ipsius.

§. XLV. *Denique.* Id quoque luculentèr Scripturam docere experiuntur omnes, qui eam legunt, meditantur, scrutantur noctes atque dies puris ac castis manibus versant, in *timore Domini*, quòd Deus magnificum ac in totum divinum illud opus (de quo mox mentionem fecimus) assumptionem nempe miserrimi nihilque tale quid merentis peccatoris ad fœdus, amicitiam, communionem sui beatam ac æternam, ita operetur, ut tamen eô ipsô non abneget suas *perfectiones, virtutes*; putà, *sanctitatem, justitiam, veracitatem &c.* verùm eas illæsas, sartas atque tectas servet; quô respectu proculdubiò id fieri, & quidem unô eodemque

aucto-

auctore Spiritu Sanctô illi rei invigilante, ac providâ suâ curâ procurante in Scriptura existimandum est, quod ubique, ubi *gratiam* ac *misericordiam* Dei, quâ indignum ac in massa perditionis hærentem atque volutantem peccatorem benignè complectitur, ab insignibus suis proprietatibus atque documentis pereximiis luculentissimè describit, eamque innumeris argumentorum copiis iisque validissimis suadet homini misero, (utpotè in qua *sola superfit ipsi spes vitæ melioris ac beatæ*; siquidem ea sit *gratia salutaris*, *erudiens nos ut justè ac piè vivamus*, Tit. 2: 11, 12. *gratia servans*, *gratia gloriosa*, non tantùm quia celebrari & æstimari meretur, sed & quia nos glorificare potens est) nec non ipsi offert ex mera gratia, atque itidem vires ad eam accipiendam gratiosè suppeditat; simul ibidem suæ *sanctitatis*, *justitiæ*, hoc est, tùm amorem sui suarumque perfectionum, nec non earum celebrationem, laudem, æstimationem, atque vivam quasi dictis & factis expressionem: tùm denique illius perfectionis debitam agnitionem, quâ summoperè vult ut id, quod ipsius est ipsi tribuamus, hominibus quod hominum est, aliis rebus quod illis proprium atque privum, atque adeò suum cuique, majestatem ac dignitatem summam, qui ea dignus, talis verò cùm prætèr Deum solum alter non sit, eam unicè & in totùm ipsi deferamus, honorem, qui honore, amorem, qui amore, bonum, qui bonô, malum, qui malô, præmium, qui præmiô, pœnam, qui pœnâ digni sunt: ibidem inquam harum perfectionum exactissimam ac debitam urget observationem atque reverentiam, ut sic tùm gratia ac misericordia ejus benignô ac promptô animô excipiantur, tùm sanctitas & justitia ejus summoperè suspiciantur ac celebrentur. Videri possunt in hanc rem loca insignia, Exod. 34: 6, 7. ubi Deus primò quidem se describit tanquàm qui sit *misericors*, *gratiosus*, *longanimis* & *multus benignitate*, deindè verò contestim subjungit se esse quoque talem, qui *visitaturus sit iniquitatem patrum in*

 filiis

filiis &c. atque adeò sanctum ac justum: item divi Pauli ad Rom. 3: 24, 25, 26. ubi similitèr, imprimis Dei *gratia* tanquàm ingens beneficium ac fons, ex quo manat justificatio nostra gratuita facta per redemptionem Christi, proponitur: posteà verò justitiæ divinæ integritas ac perfectio adstruitur, quam demonstrat tunc etiam cùm *justificat* eum *qui est ex fide Jesu*, hoc est, eum cui ex mera gratiâ ac misericordiâ suâ per Spiritum suum indulsit fidem, ut mediante eâ apprehendat justitiam Christi, eamque suam faciat, sicque justus evadat. Sed non est necesse ut plura in hanc rem congeramus loca Scripturæ: hoc solùm modò unicum ritè consideremus, quid sibi velint illæ sanctiones sive fœderales, sive legales, vel potiùs doctrinæ gratiosæ? scil. *Quicunque fecerit ea vivet in iis. Maledictus qui non manserit in iis, quæ Scripta sunt in libro legis. Qui credit in Christo habet vitam æternam. Qui verò non credit jam condemnatus est:* in quibus procul omni dubiò, quemadmodùm divina *gratia* ac *misericordia* adstruitur: quandò enim dicitur. *Qui fecerit ea &c.* tantundem est acsi diceretur. *Qui credit*, at verò ùt quis credere possit indiget auxilatrici divinâ gratiâ ac Spiritus Sancti gratiosâ atque efficaci operatione; ita paritèr *justitia* ac sanctitas dvina firmitèr Deo asseritur, siquidem dùm id dicitur. Quòd *maledictus omnis, qui non permanet in omnibus &c.* tantundem est acsi diceretur. *Qui non credit non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, quæ ira manifestum signum est justitiæ, quam non potest non demonstrare in condemnatione ejus, qui Filium tanquam unicam viam ad felicitatem ab ipso ordinatam repudiat.

§. XLVI. *Cæterùm.* Et illud appositè atque apprimè potest prædicari de doctrina illa, quam Scriptura Sacra pandit, quòd ea non solùm viam ac modum, quô homo miser, *alienatus a vita Dei, servus atque mancipium Diaboli*, possit emergere ex tanta miseria, tantôque malô, & cum Deo re-

con-

conciliari (uti suprà vidimus) doceat; sed insupèr etiam *modum legitimum ac rectam rationem* verum ac unicum Deum colendi, quâ jàm peccator in amicitiam atque fœdus Dei receptus & potest, & debet Deum, ut suum Deum, suum Jehovam, Patrem gratiosum ac complacatum in Christo Jesu, rationali modo colere. Et uti varius fuit status peccatorum Deo per Christum reconciliatorum, atque ad suavem ejus communionem assumptorum; ita varius etiam ac diversus modus Deum colendi, sive Deó cultum præstandi, in Scriptura Sacra proponitur, qui diversitati statuum ad fœdus Dei admissorum adtemperatus fuit, maximè si ea spectentur, quæ externè a fidelibus ac fœderatis peragebantur, ingens in cultu divino reperitur differitas ac diversitas: modus enim Deum colendi sub *promissione* viventium, fœderatorumque Dei præcipuus ac legitimus, externus nempe, consistebat in sacrificiis, (ex Dei proculdubiò institutione id haurientibus) mox post primævam illam promissionem oblatis. Hinc subindè *Abelis* & *Caini Sacrificia memorantur*, Gen. 4: 3, 4. mundorum ac immundorum animalium discrimina (quô discrimen Judæorum & gentium significatum esse putamus) notantur, Gen. 7: 2. sic *Noachi*, Gen. 8: 20. Abrahami non semel, in quem finem etiam altaria pluribus vicibus exstruxit, Gen. 12: 7, 8. & 13: 18. in quibus sacrificiis, veluti in quibusdam picturis Christi, fide Christum prospectabant, & primævam illam promissionem recolebant, fideles, istius temporis. Sub *Veteri* autem *Testamento* (cujus initium a monte Sinai repetendum) modus ac ratio Deum colendi divinique cultûs, consistebat equidem similitèr in sacrificiis, sed longè aliam faciem præbentibus, quàm illa quæ sub promissione obtinebant; siquidem illa erant libera, nulli certo loco, tempori, personæ adstricta, hæc certis terminis, locis, temporibus, personis circumscripta, ultrà ac citra quos legitimè perfici non poterant; illa erant perpauca,

 hæc

hæc in ingentem excreverunt cumulum; illa non tàm erant molesta ac onerosa quàm hæc (quæ prolixius in Libris Mosis videri possunt) nihilominus tamen utriusque temporis Sacrificia in eo aptè conveniebant, quod fuerint quasi quædam elementa ac prima principia, quibus ducerentur fideles ac fœderati ad *corpus* omnium illorum *Sacrificiorum*, Christum nempe. Hodie verò sub N. T. abolitis atque abrogatis omnibus istis Sacrificiis, modus ac ratio vera Deum colendi, est penitùs *rationalis* ac *Spiritualis*, Rom. 12: 1. adeò ut jàm non amplius cogamur ad oblationem Sacrificiorum istorum mutorum, sed solùm ad hoc, ut *Deum* prout *Spiritus* est, sic etiam in *Spiritu* & *veritate* colamus per fidem Jesu Christi, ipsique nostra corpora *victimas sistamus sanctas* ac *vivas*, atque ipsum glorificemus *corpore* & *Spiritu*, idque sive *edamus* sive *bibamus*; atque adeò cuncta nostra cogitata, desideria, dicta, facta eò tendant, ut Deus glorificetur in nobis & per nos, 1 Cor. 10: 31. Si verò internam ac formalem rationem veri ac genuini cultûs Dei, atque adeò intrinsecam naturam (ut ajunt) ac essentiam paulô accuratiùs consideraverimus, ea procul omni dubiò fuit omnibus temporibus una eademque (quamquam & hîc forsàn posset aliqua concipi diversitas, saltem quoad relationem fidelium diversam ad Deum) siquidem omni tempore id verum fuit ac immutabile mansit, quòd homo peccator ad fœdus & amicitiam Dei vi sponsionis Christi admissus, Deum ex *toto corde*, *ex tota anima*, *ex omnibus viribus ac facultatibus colere deberet*, *omniaque cogitata*, desideria, dicta ac facta, voluntati Dei conformare, omnique tempore, locô, momentô, statu, sibi seriò attendere, ne amplius fœdus ac amicitiam cum Deô benignissimô ac gratiosô reparatam violaret ac læderet.

§. XLVII. *Dein.* Certè si quicquam appositè de doctrina in Sacra Sriptura contenta prædicari potest, potest & illud con-

concinnè ac elegantèr, quòd ea ejusmodi tradat, tùm *præcepta*, quæ in omnibus suis apicibus Deum decent, quæque *cum jure Dei, cum relatione hominis ad Deum, hominis ad alios homines, & res alias quascunque*, exactissimè conveniunt, atque adeò quæ sunt *sancta* ac *pura*, adeò ut ipsas etiam cogitationes, ipsos affectus internos cordis, ac ipsa desideria in certum atque justum ordinem cogere queant, simulque apta sint ad hominem omni virtutum genere perfectum & Deo dignum reddendum: tùm *dogmata*, quæ licèt nullâ rationis industriâ investigari quivissent, quippè quæ infinitis parasangis superant activitatem finitæ nostræ mentis, vimque cognoscendi limitatam; nihilominus tamen simulac ea revelat atque ad conscientiam demonstrat, non potest non assensum præbere illis conscientia atque ea approbare, utpotè quæ apprimè conveniunt cum dictaminibus conscientiæ. Quapropter operæ pretium erit paucis ea *dogmata* ac *præcepta* expendere, atque videre, quid de Deo? quid de hominibus aliis? ac rebus aliis quibuscunque præcipiant ac doceant? Universa præcepta in utraque pagina Sacrarum Scripturarum occurrentia, jubent *Deum* tanquàm summum bonum, utpotè *præterquem nemò est bonus, ex toto corde, ex tota cogitatione ex totis viribus atque omnibus facultatibus amare ac diligere*, Matt. 22: 37. coll. Deut. 6: 5. at verò quid eô sanctius, quid convenientius excogitari potest, tùm *naturæ Dei*, quippè qui est summum ac perfectissimum bonum, proindeque summoperè amabile, desiderabile, omnique quæsitione dignum? tùm *naturæ hominis*, qui est factus ad amandum ac desiderandum bonum, ad quærendum bonum, & quidem summum ac perfectissimum, quod omnia ejus desideria explere, omnes ejus facultates modô perfectissimô perficere? proculdubiô nihil æquius talibus præceptis excogitari potest. Undè Christus etiam hanc dicit esse summam & compendium, atque adeò *maximum* omnium *præceptorum*, *diligere* nempe

 Deum

Deum ex toto corde, ex tota anima &c. denique jubent, ut Deo tanquàm unico ac summo *Dominorum Domino, Regum Regi*, cujus nutu stant caduntque omnia, nos in totum humillimo obsequiô subjiciamus, *explorantes in omnibus quæ sit voluntas ejus Sancta, justa*, atque ita conformemus nostras cogitationes, nostra desideria, dicta ac facta ipsius voluntati, tanquàm unicæ ac perfectissimæ normæ omnium actionum nostrarum: porrò ut ipsum tanquàm exemplar nostrum perexi- mium imitemur, & prout ille *Sanctus est*, nos etiam paritèr studeamus *Sancti esse*, Lev. 19: 21. prout *justus*, similitèr nos quoque operam demus ut simus *justi*, & in omnibus quantumpotè nos ratione præditi, rationem illam (si fas sit ita loqui) increatam imitemur illique assimilemur: hæc & hisce similia penè infinita præcipit Scriptura de Deo. Nos quod attinet, jubent divina ista præcepta, ut nos amemus, nostrum *corpus foveamus*, sustentemus, alamus, illud non destruamus, non occidamus, quin potiùs defendamus, tueamur, vitamque nobis eripi non patiamur, *animam* ejusque facultates, *intellectum* scil. & *voluntatem*, Dei cognitione imbuamus, operumque divinorum contemplatione muniamus, verbô ut cum *timore* ac *tremore operemur salutem nostram*. Alios verò homines quod attinet, jubent illos pari amoris sinceritate amare ac nos ipsos, eos honorare, æstimare, illorum vitæ parcere, non occidere, illorum salutem promovere, omnique nisu ac studiô id agere, ut ejusdem summi boni veri amatores existant, ad eandem felicitatem contendant, uni eidemque Domino obtemperent, legibusque ejus se se subjiciant, uti (ut alia taceam) summam eorum complexus est Christus in isthoc præcepto, Matt. 22: 39. quandò inquit, *Diliges proximum tuum ut te ipsum*, a quo præcepto totam legem pendere dicit divus Paulus, Gal. 5: 14. hoc est, hoc præceptum continet summam omnium legum divinarum; quia nemò vel se, vel proximum ut se, verè amare potest,

 nisi

nisi amet Deum, ex toto cordo ut summum bonum, eoque frui velit, atque adeò illum constituat omnium cogitationum, desideriorum, dictorum ac factorum finem ultimum, &c. Adeoque hoc præceptum involvit præceptum amoris Dei, proindeque totam legem; siquidem tota lex, sive tota doctrina Scripturæ hisce duobus præceptis absolvatur. *Diliges Deum tuum*, & *proximum tuum ut te ipsum. Res*, præterea, alias quod attinet, circa eas quoque talia jubent facere illa præcepta, ut in iis mirari possimus θεοπρέπειαν summam: jubent enim ut omnibus utamur ad gloriam Dei, tam cibô quàm potu nostrô, 1 Cor. 10: 31. sicque bona nostra, divitias, opes, & res quascunque tractemus, voluntatique divinæ subordinemus, ut tandem Deo fruamur. Hæc igitur omnia præcepta tàm sancta, tàm pia, tàmque divina sunt, ut nulla his vel sanctiora, vel magis pia, vel magis (si fas sit ita loqui) divina dari queant, quæ vel Deo, vel nobis, vel aliis hominibus, rebusque aliis quibuscunque accuratiùs conveniant. Quorum omnium insignem summam ac epitomen exhibet nobis Apostolus Paulus ad Tit. 2: 12. cùm inquit, debere nos σωφρόνως *temperantèr*, δικαίως *justè*, εὐσεβῶς *piè vivere. Piè* erga Deum, *justè* erga nos & alios homines, *temperantèr* uti rebus hujus mundi. *Dogmata* autem tradit planè *divina* ac *cœlestia*, *sancta*, pia, omnibusque numeris divinis perfectionibus apprimè convenientia, qualia sunt, quæ tùm de Sacro Sancta Dei Trinitate, Patris, Filii & Spiritus Sancti simplicissimâ unitate, de consilio ac pacto Patris cum Filio, de consilio gratiæ trium personarum divinarum, consultantium ante jacta mundi fundamenta de assumendis certis quibusdam hominibus ex massa perditionis, de admiranda trium personarum œconomia in opere salutis, quam quælibet in procuranda hominis salute sapientissimè servat, de Christi in plenitudine temporis exinanitione ac humiliatione, & proin nativitate ex virgine, passionibus, morte,

se-

ſepulturâ, reſurrectione, adſcenſione in cœlos, deque effuſione Spiritûs Sancti donorum uberiùs factâ in N. T. atque adeò ſatisfactione plenariâ, de fide, de juſtificatione hominis impii ac injuſti gratuitâ coram Deo, de vita æterna quam cultoribus ſuis Deus promittit, cujusve reſpectu mortem & afflictiones ferre jubet, de reſurrectione mortuorum tàm piorum, quàm impiorum &c. Hæc omnia (& his plurima) talia tantaque ſunt, ut nullâ rationis induſtriâ erui potuiſſent, niſi Scriptura nobis ea pleniùs ac planiùs manifeſtaſſet: quod ſimulac fecit conſcientia noſtra non poteſt non iis aſſentiri, atque in illis ſummam Dei tùm ſapientiam, tùm majeſtatem ac potentiam ſummoperè admirari; quippè quæ agnoſcit Deum eſſe ens perfectiſſimum, ſapientiſſimum, potentiſſimum, proindeque nihil illum operari quod ſummis ipſius perfectionibus exactiſſimè vel non conveniat, vel eas non deprædicet.

§. XLVIII. Supereſt ut addamus ac doceamus, quàm venuſtus ac pereximius ſit conſenſus, eximiaque cohærentia inter omnes ac ſingulas partes illius doctrinæ, quam Scriptura ambabus quaſi manibus nobis offert, adeò ut ne minima quidem inter priora ac poſteriora, magna at parva, difficilia ac levia obſervari poſſit diſcordia: ſi autem aliqua talis obſervetur, id fit non tàm a parte rei, quàm a parte noſtri, & ob defectum ac minùs in iſtis rebus exercitatum ſenſum. Quem conſenſum ac quam cohærentiam pereximiam (ut ne prolixi ſimus) mecum una omnes ii agnoſcent, qui paulùm operæ impenderint illi doctrinæ perſcrutandæ, idque probè fixum atque repoſitum memori mente tenebunt, quod Moſes fuerit coryphæus omnium Prophetarum atque anteſignanus, quem reliqui Prophetæ ex divina inſtitutione ſequi debebant, tanquam eum, de quo tale inſigne encomium prædicat Scriptura, Num. 12:7. coll. Heb. 3:5. quod ille fuerit *fidelis Dei ſervus in tota domo ejus*, h. e. in Eccleſia omnium

tempo-

temporum, adeò ut cuncta per eum summatim atque in compendio dicta sint, quæ spectabant ad ædificationem Ecclesiæ omnis ætatis, atque ad propagationem pomœriorum *regni Christi* usque ad finem seculorum omnium: quod si verum est, uti procul omni dubiò est verum, necesse erat ut omnes sequioris ætatis Prophetæ ipsius vestigia legerent, nihilque extrà ipsum, sed omnia ex ipso, & ad ipsius mentem uberiùs intelligendam dicerent, atque in omnibus ad normam quasi a Mose sibi propositam ac præscriptam attenderent, quippè cujus sermo est *testimonium eorum* omnium, quæ deinde erant *dicenda de Christo*, Heb. 3: 5. ut ita jucundè ac venustè doctrina illorum cum doctrina Mosis omnibus numeris conveniret. Hoc respectu id fieri a Prophetis, tam majoribus (ut vulgo nominantur) quàm minoribus, certò colligo, quod frequentissimè ac planè innumerabilies provocent Israëlem ad ea verba Dei atque præcepta משפטים *judicia* חקים *statuta* ac *definitiones*, quas, & quæ, olim Deus per servum *suum fidelem in tota domo* h. e. Ecclesia omnium temporum, seculorum, ætatum, Mosen nempe, promulgavit, quæque per eundem describi jussit; uti hoc vel ex uno (qui omnium instar esse debet.) Malachia Prophetarum omnium ultimô luculentèr patet, Mal. 3:22. *Recordamini*, inquit, *doctrinæ* sive *legis Mosis servi mei.* Sed non solùm Prophetis V. T. id erat familiare, quod identidem revocent suos auditores ad Mosen; verùm etiam Christo Domino, & Discipulis ejus insignibus certè Scriptoribus N. T. id fuit familiarissimum. De *Christo* Domino provocante ad Mosen ejusque doctrinam videri possunt loca, Joh. 5: 45,46,47. ubi Christus Dominus sermonem conserit cum Judæis *incredulis*, addens rationem quare sint tales; quia nempe *gloriam alii ab aliis captarent*, & *gloriam* illam, quæ a *Deo* proficiscitur, non *quærerent:* quibus verbis auditis Judæi efferbuerunt in Christum, & videntur quasi jurgari (licet hoc expressè non

 dicatur

dicatur) cum Christo, rogantes ipsum, quare illos accuset incredulitatis coram Deo? ad quorum interrogationem jam respondet Christis his versibus, & dicit. Ne *putate me accusaturum vos apud Patrem: est* enim alius *qui accuset vos*, ille verò quis sit indicat, *Moses* est, *in quo vos speratis. Si* enim *crederetis Mosi, crederetis* & *mihi; nam ille de me scripsit &c.* Luc. 24: 27. ubi rursùs Christus duobus discipulis Emauntem euntibus, deque morte ac resurrectione ejus variè differentibus, ac anxiè disquirentibus exposuit, *Christum* ea debuisse pati priusquàm in gloriam introiret, cujus suæ expositionis exordium repetit a Mose & omnibus Prophetis, quô insinuare vult illis, quòd si essent rigidi custodes doctrinæ Mosis, id peregrinum non videretur illis, quod factum est in Israël cum Christo; quia secundum doctrinam Mosis ea ita debuerunt fieri: item Luc. 16: 29. cùm dives peteret Abraamum, ut Lazarum mitteret ad suos fratres, dicit ei Abraamus: *Habent Mosen* & *Prophetas, audiant eos.* Similitèr Paulus etiam testatur se credere omnibus, quæ in Lege h. e. libris Mosis, & in Prophetis scripta essent. *Apostoli* etiam innumeris ferè locis non solùm citant Mosen, verùm etiam ejus verba, phrases, sententias, imò integras quandoque historias (ut Act. 7: videre est) describunt, uti hoc Apostolorum scripta ac Epistolas legenti est manistùm, adeò ut non sit id necessè hîc multis atque operosè demonstrare. Undè luce meridianâ clarius patet, quàm venusta sit harmonia inter omnes Scripturæ partes, adeò ut nullus in iis hiatus, nulla conturbatio partium uspiam reperiatur, quin potiùs priora posterioribus, posteriora prioribus, prima mediis, media ultimis ita concinnent, ut in illis extet luculentissimum testimonium de his, & hæc illis ad amussim (ut ajunt) respondeant, & omnia ad eundem finem jucundâ serie atque unô humerô colliment, ad *gloriam* nempe *Dei*, & ædificationem *domûs* ipsius h. e. Ecclesiæ,

quæ

quæ est *corpus Christi mysticum:* uti hoc graphicè describit Apostolus Paulus, Eph. 4: 11. 12. *Is* igitur (loquitur de Christo qui in cœlum ascenderat) *dedit, alios quidem Apostolos, alios Prophetas &c. ad compactionem sanctorum, ad ædificationem corporis Christi.*

§. XLIX. Restat adhuc illud quoque observandum, quòd Scriptura Sacra ejusmodi doctrinam nobis præponit, quæ cuncta illa, quæ in secretissimis arcani pectoris recessibus abscondita ac clausa gerunt homines, tanquàm aperta ac omnibus obvia recludit atque reserat, ob oculosque ponit, adeò ut nihil quicquam eorum lateant quenquam. Quid quæso occultius atque ab omni sensu, cognitione, visu, tactu hominum remotius, cogitationibus nostris sive bonis sive malis, sive sanctis sive profanis, justis ac injustis, æquis ac iniquis, rectis ac pravis? Quid cordibus ac renibus nostris? Quid nostris actionibus in abditis atque atrâ caligine circumseptis locis perpessis? Ecquis mortalium ea novit, quæ in sinu mentis humanæ secretissimô hærent, nemò nisi Spiritûs hominis qui est in ipso? Nihilominus tamen vix quicquam familiarius est Scripturæ, quàm id ubique inculcare, quòd Deus sit scrutator *cordium* ac *renium*, omnium cogitationum tàm bonarum quàm malarum pensiculator, Jer. 11: 20. coll. Apoc. 2: 23. & cui tenebræ obtenebrantes quascunque res quàm spississimè nihil obstant, quô minus eas pervideat, adeò ut nox sit *instar diei in conspectu* ejus, & *tenebræ perinde* atque *ipsa lux*, Psal. 139: 12. Nec est ulla res creata non manifesta in conspectu ejus, imò omnia nuda & intimè patentia oculis ejus, inquit Paulus, Hebr. 4: 13. denique ad vivum depingit doctrina in Scriptura contenta, quales sint hominis corrupti ac irregeniti cogitationes, quandò eas dicit esse *tantum modò malas omni tempore*, & quod *cædem*, *adulterium*, sive scortationem spirent, quodque ea tantum sapiat mens perversa, quæ spectant stultitiam, vanitatem futilita-

litatem, *concupiſcentiam carnis*, *pompam oculorum*, *faſtum hujus vitæ*; at verò mens pia ea quæ *regnum Dei*, gloriam Dei, ſalutem ſuam, & ædificationem in omnibus proximi.

§. L. Addi debet hoc etiam, quod magna inſit efficacia illi doctrinæ, quam Scriptura pandit, adeò ut in iis omnibus, qui eam aut legunt, aut audiunt, aut aliis exponunt per publicum præconium, vivida extent illius efficaciæ argumenta, vel in bonum vel in malum interitum at que ceſſura iis qui eam legunt vel audiunt. Proculdubiò ſi accuratiùs inquiſiverimus in efficatiam illius, tantam eam experiemur, ut nos confeſtim in ſuam rapiat admirationem; ſiquidem illius tot extant documenta & ſpecimina, quot olim fuerunt fideles, & quot hodie adhucdùm ſunt, quotque futuri ſunt, qui humillimô obſequiô eam receperunt, recipiunt, & recepturi ſunt. Undè putamus quæſo factum eſſe, quòd homines in peccatis mortui, in iis obdurati, *cor lapideum* ac *ſaxeum*, *cor præputiatum*, Deo ſuo adverſum ac inimicum, geſtantes, naturalitèr Deum odio habentes, in cognitione viarum ejus non deliciantes, ſed faciem ejus ac conſpectum omni niſu fugientes, ipſius nomen, gloriam, perfectiones, virtutes, proprietates, opera blaſphemantes ac contemnentes, mox ingentem patiantur metamorphoſim, ſimulac attentas præbere incipiunt aures huic doctrinæ, adeò ut cum ex morte peccati reſurgant, peccatum cujus amore antea flagrabant deteſtentur, non amplius gerant cor ſiliceum, ſed carneum, circumciſum, Deo in omnibus obſequioſum, & Deum quem fugiebant, quem odio habebant, in cujus viarum cognitione non delectabantur, nunc ſtudioſiſſimè quærant, tenerrimè ament, caſtæ atque puræ deliciæ ſint ipſis viæ Dei? Undè tot populorum, gentium, nationum, regnorum, familiarum, magnorum, parvorum, nobilium, ignobilium, unanimis atque ſincera ad Deum converſio? firmum atque con-

conſtans non tantùm ſecundùm quædam, ſed ſecundùm omnia Dei præcepta vivendi propoſitum? nonne a doctrinæ illius ſingulari efficatiâ, quam Scriptura Sacra pandit, haud omni dubio id omne factum eſt, vi & efficaciâ planè divinâ doctrinæ illius, quæ eſt *potentia Dei ad ſalutem omni credenti*, Rom. 1: 16. quia potens eſt hominem in peccatis ac lapſibus mortuum vivificare, omnesque facultates hominis, atque effrænes affectus in legitimum ordinem ac humile Dei obſequium cogere, idque per certas ac validas rationes, quibus ad amandum Deum tanquam ſummum ſuum bonum, quô quoad omnes ſui partes ac facultates perfectè perfici poteſt, pellicitur ac ſuaviſſime adducitur: denique quod olim, gens Judaica nefandæ ac turpi idololatriæ dedita, omnem cultum idolorum ſubitò abdicaverit eique renunciaverit, Deumque unicè colendum, amandum, quærendum ſibi propoſuerit? quod Prophetæ tantos profectus fecerint coram Regibus, Principibus, Satrapis ſæpiſſimè impiis? quod Apoſtoli miſerrimi homuntiones, *ſtulti*, *ignobiles*, fæces hominum (ſi cum aliis comparentur:) brevi temporis ſpatio, tàm longè latèque gentes barbaras ac moribus effrænes ad amplectendum nomen Chriſti, ipſique humilimô obſequiô ſerviendum perducere potuerint? & quod ad Petri concionem unam tria millia hominum ſint unô eodemque tempore converſa? quòd in diriſſimis ac acerbiſſimis perſecutionibus non defuerint plurimi, ex ipſis etiam hoſtibus, qui huic doctrinæ fidem dederunt? & proin quod hodie quoque ad hunc uſque diem non deſint, qui Chriſtum confiteantur, miſſa facientes Diaboli opera, atque fabulas inutiles ab hominibus effictas deteſtantes, & quaſi cum impetu ac zelô ruant in amplexum hujus verbi; hoc certè omne unicè & in totum illi doctrinæ, quam Scriptura proponit, adſcribendum eſt, & quam tùm Prophetæ, tùm Apoſtoli, tùm denique miniſtri verbi Dei veri omnes prædicarunt? Nec id mirum ac portentoſum eſſe cuiquam poteſt; ſiquidem

doctrina hæc eſt, ut *ignis* h. e. quæ conſumit atque depaſcit concupiſcentias pravas, pravos affectus, in corde hominis, ac proin amorem Dei ſincerum excitat atque accendit, & *malleus qui facit diſſilire petram* h. e. habet vim & ἐνέργειαν efficaciam ἀνυπόστατον *irreſiſtibilem*, Jer. 23: 29. eſt efficax, *ſecantior* ſive *penetrantior omni gladio ancipiti*, Hebr. 4: 12. eſt *romphæa* illa *anceps acuta* quæ ex ore Chriſti prodiit, Apoc. 1: 16. h. e. quæ habet vim utraſque mentis facultates intellectum nempe & voluntatem in obſequium humile Dei cogendi; ſive vim *ſanandi* atque convertendi, & *nocendi* atque perdendi, deſtruendi eos, qui ei ſe contumacitèr opponunt. Summa ergò ineſt efficacia doctrinæ in Scriptura contentæ.

§. LI. *Porrò.* Extrà omnem dubitationis aleam, hoc quoque elegantèr quadrat in illam doctrinam, quam Scriptura pandit, quòd ea contineat illuſtriſſimas ac magnificas *Prophetias*, tàm *verbales* quàm *reales*, quæ omnia ea, quæ a communi cunctorum hominum ſenſu, uſu, potentiâ, arbitriô, voluntate, induſtriâ, innumeris paraſangis diſtant, quæque agunt de rebus futuris, liberis, contingentibus, comprobante eventu certiſſimè prædicunt. Ad hanc verò rem probandam, multis ut utamur argumentis neceſſè non eſt; ſiquidem omnibus, qui Scripturam attentè legunt, ſcrutantur ac meditantur, vel ſaltem qui eam primis labiis deguſtant, id eſt manifeſtum. Sufficiat ergò hîc quædam loca Scripturæ notaſſe, in quibus *Prophetias* verbales perilluſtres eſſe nullus negabit, niſi is, qui omnem Prophetiam ſive omne ſtudium Propheticum abjurat, & cui non eſt volupe inquirire in mentem Domini, quid ſcilicet de domo ſuâ ultimis temporibus futurâ decreverit. Primas teneat in ordine ſpecioſiſſimus ille locus, Gen. 3: 14--17. in quo eſt prima omnium Prophetiarum verbalium non ſolùm, verum etiam compendium atque matrix fœcundiſſima, ex qua reliquæ omnes jucundâ ſerie natæ ſunt; in qua proinde prædicitur

ho-

hominem per peccatum (ut brevibus complectamur) servituti Diaboli mancipatum, per *semen mulieris*, h. e. Christum, emancipandum esse, illius potestate per mortem hujus sublatâ &c. quod ex collatione loci Paulini, ad Hebr. 2: 14. 15. luculentissimè patet. Succedat illi alius paritèr perεximius, Gen. 8:21,22. qui continet Prophetiam de tolerantia divinâ, quâ homines benignissimè tolerat usque ad diem ultimi judicii, eosque non amplius deleturus est ultricibus aquis diluvii de facie terræ. Hunc sequatur, Gen. 9:25--27. qui fata, sive diversos status Ecclesiæ ultimis temporibus futuros, sub triplici statu filiorum Noachi, depingit. Illi immediatè addantur, Gen. 12:7. & 15:13,14,15. & 17:8. quæ describunt Prophetiam insignem, quæ Abrahamo contigit de futuro statu seminis ipsius &c. Non omittatur Prophetia, quæ de Jacobo & Esavo, cùm adhuc in utero materno essent, Isaaco facta est, Gen. 25:23. in qua sub nomine & personâ duorum istorum filiorum describitur duplex status Ecclesiæ Dei, &c. Addatur his omnibus (multis aliis omissis, quas hîc recensere nec est animus, nec instituti ratio patitur) ceu cumulus quidam, Gen. 49:10. ubi est insignis Prophetia de adventu Christi in carne, insignitâ temporis qualitate, quandò id futurum esset, itemque de latitudine & amplitudine regni ejus inter gentes, de fructibus adventûs Christi, ℣. 11. & similibus talibus ingentibus rebus, quas prolixè nunc exequi nolumus. Quod attinet *Prophetias reales*, (quô nomine indigitamus typos) tot numerô eæ sunt, quot olim fuerunt, res memorabiles ac momentosæ, tàm sub promissione quàm sub lege, quot fuerunt sacrificia, quot personæ illustres, quot illustria facta ac gesta ab illis, quot loca sacra, quot dies sacri, quot anni sacri, quot festa sacra &c. in quibus est quasi totidem viva effigies earum rerum, quæ vel ipsum Christum spectabant, vel Ecclesiam solam, vel simul Christum & Ecclesiam, quæ pluri-

bus

bus hîc pertractare instituti nostri ratio non patitur; siquidem illa magnam certè & mirabilem mysteriorum Sylvam aperirent, adeò ut vix ea cancellis & septis nostræ dissertationis includi possent.

§. LII. *Demùm.* Hoc quoque elegantèr ac venustè de doctrina illa cœlesti, quam Scriptura nobis ad ravim ac nauseam quasi inculcat, affirmari potest, quòd nimirùm ea de illo magnô nostræ fidei articulô ac fundamentali dogmate, resurrectione nostrâ, uberrimè ac plenissimè erudiat, adeò ut per omnia proprium ac privium sit hoc dogma illi doctrinæ, neque de eâ aliunde quàm hinc plenissimè ac certissimè erudiri quisquam mortalium possit; utique derelictô hoc *Duce* ac *Doctore* perenne nobis cœlestis lætitiæ nectar offerente, ac ad vivos aquæ salutaris fontes rectà ducente, heu quam miserrimè aberrarunt omnes circa hanc doctrinam, sive ii fuerint gentiles, sive Judæi, sive Christiani, & aberrant adhucdum hodie plurimi impingentes in dogma hoc, ceu in lapidem offendiculi ac scandali! Omni itaque exceptione majoribus argumentis, partim ab *oraculis* V. T. desumtis, Psal. 90: 35. Deut. 32: 39, partim ac *testimoniis* N. T. Joh. 5: 28. 29. 1 Cor. 15: toto capite illo in eo est Paulus, ut hanc doctrinam stabiliat, partim a primæva *promissione*, Gen. 3: 15. Coll. Heb. 2: 14, partim a *Fœdere Dei*, in quo Deus promittit se Deûm fore nostrum, atqui *Deus non est Deus mortuorum*, sed *viventium* teste Matth. 22: 32, partim a redemtionis opere factæ per Christum, partim a justitia Dei, quæ cuique suum tribuit: partim a suspirio atque adoptionis plenariæ expectatione, Rom. 8: 23. docet Scriptura Sacra, quod corpora nostra, quæ in hac vita Dei atque Spiritus Sancti templa ac domicilia viva atque sacratissima erant; quamvis proptèr peccatum per inobedientiam primorum hominum invectum morti obnoxia sint, ac proinde in *pulverem revertantur* secundùm sanctissimi ac justissimi Dei sententiam,

pulvis

pulvis es in pulverem reverteris; nihilominus tamen certô aliquô die ac tempore, ſoli Deo notô, infinitâ Dei potentiâ ex pulvere terræ ſuſcitabuntur ſubſtantiâ ac mole eadem, iiſdem partibus eſſentialibus, quanquam longè aliis qualitatibus, quàm quibus hîc prædita erant: quippè quæ nunc *ſeruntur* cum *corruptione*, excitantur cum incorruptione, quæ cum ignominia, excitantur cum gloria, quæ cum infirmitate, excitantur cum potentia, ſeruntur corpora animalia, excitantur Spiritualia, 1 Cor. 15: 42, 43, 44. facitque Deus eâdem potentiâ, ut id quod nunc eſt mortale & reapſe moritur, tunc induat immortalitatem, cum qua nulla mortis imago ac portiuncula, aut ſuſpicio conſiſtere poſſit, ibid. ỳſ. 54. Et quid hiſce convenientiùs vel Deo, vel homini excogitari poteſt? ſiquidem juſtum & æquum eſt, ut cùm Deus promittit homini ſe fore ipſi in Deum, & homo tàm animâ quàm corpore id agit, ut Deum talem ſtudioſiſſimè quærere, amare, & in omnibus ipſi placere, ipſo frui ac beatam cum ipſo communionem habere poſſit, juſtum inquàm eſt ut Deus ſe talem ipſi actu demonſtret, & ſe fruendum præbeat, adeò ut & anima & corpus exſatiari ipſius communione poſſint, quod tùm facit pleniſſimè, quandò anima cum corpore ex pulvere terræ ſuſcitatô unitur, & ſic totus homo in gloriam introducitur, ut ita qui Deum glorificavit Spiritu & corpore, ipſe quoque glorificetur tàm quoad corpus quàm quoad animam ſive Spiritum.

§. LIII. Nec de univerſali judiciô ultimis temporibus, ceu ultimâ mundi veſperâ, futurô ſilet Scriptura, verùm illud pluribus ac penè infinitis locis aſſerit, docetque quod omnes homines oporteat manifeſtos fieri coram tribunali Chriſti. Id verò quô fine, ſubjicit? nempe ut unusquisque reportet quæ in corpore fecerit, congruentèr ad id quod fecerit, h. e. ſi bonum Spiritu & corpore, accipiat bonum illud, quô tàm quoad Spiritum quàm quoad corpus perfectè

perfici possit; si verò malum paritèr accipiat malum, 2 Cor. 5: 10. item quod, quodcunque *verbum otiosum* (h.e. inutile ad glorificandum Deum, ad ædificandum proximum eumque promovendum in via salutis; atque ad sui ipsius salutem, quippè quod est ἀργὸν absque opere sive debitâ perfectione) locuti fuerint homines, de eo reddituri sunt rationem in die judicii, Matth. 12: 36. vide Apoc. 1: 7. Judæ ℣s. 15. Et hoc maximè consentaneum est statui, vel potiùs dicam expectationi, fidelium præsenti: cùm enim in terris bonorum, malorumque fata commixta, & rerum vices confusæ; pii ferè ingenti calamitatum ac miseriarum mole premuntur, impii verò ac irrisores, *animales, Spiritum Dei non habentes*, cupiditatibus suis incedentes, *improbi magna vi se se erumpunt ac explicant, tanquam arbor virens*, Psal. 37: 35. *prosperitate jucundâ fruuntur, pingue robur eorum, cincti torque superbia se efferunt, &c.* Psal. 73. proculdubiò tempus olim venire necesse est, quô Deus piorum impiorumve delectum agat, & res humanas emendet, congruentèrque unicuique secundùm id, quod fecit in corpore, præmia sive pœnas assignet atque rependat, ipsum diligentèr quærentibus, se fruendùm præbeat ac eos cœlestibus bonis perfundat: se verò, & res suas contemnentibus diras pœnas infligat, suôque aspectu jucundô privet in æternum, atque expellat a *facie Domini* & gloria ipsius; siquidem illi etiam æternum bonum contempserunt, justum itaque ut experiantur re ipsâ, quid sit contemnere summum ac æternum bonum, pati nempe æternos cruciatus ac dolores. Verùm (ut alia omittam) totam hanc rem paucis complectitur Paulus in insigni illo loco, 2 Thess. 1: 6, 7. *Si quidem justum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem. Vobis verò qui affligimini, relaxationem in revelatione Domini Jesu de cœlo*, ultimâ mundi vesperâ futurâ.

§. LIV. Hactenus, quantum pote, copiosè demonstravimus;

vimus, omnes illas notas, omnia illa κριτήρια, quæ ex intrinſeca rei natura (ut ajunt) depromuntur ad probandam verbi alicujus divinitatem, appoſitè convenire illi doctrinæ, & non niſi illi, quam Scriptura pandit: reſtat ut nunc monſtremus illa quoque criteria, quæ deſumuntur a modo tradendi ſive ab externa ejus (ut ajunt) ſpecie, rurſùs ad probandam divinitatem alicujus verbi, apprimè prædicari poſſe de illa doctrina, quam Scriptura ambitu ſuô continet. *Primò* itaque obſervamus, quòd modus tradendi ſacram doctrinam talis fuit, qui comitem habuit operum magnificorum tale agmen quale nullius unquam mortalis, licèt ſapientiſſimi ac ingenioſiſſimi opus vidit, nec unquam viſurum eſt. Opera autem illa magnifica, ſunt innumerabilia ferè miracula iſta, quæ Deus ad confirmandam ac ſtabiliendam divinitatem procul omni dubiò Scripturæ Sacræ ſingularitèr ſuâ infinitâ potentiâ patrare voluit, ut eô ipſô etiam majorem majeſtatem ac auctoritatem conciliaret illi doctrinæ: talia verò miracula fuerunt illa, quæ *tùm* coram Pharaone Rege Ægyptiorum per Moſen *fidelem ſuum ſervum in tota domo ipſius*, atque Aaronem fratrem Moſis (illô typô exiſtente Chriſti, hoc Apoſtolorum omniumque verorum miniſtrorum Chriſti) patrata ſunt, occaſione eductionis Iſraelitarum ex duriſſima captivitate (quæ eductio præludium fuit futuræ eductionis Eccleſiæ Chriſti ex Ægypto Spirituali) Ægyptiacâ, de quibus prolixè Moſes, Exod. 7. 8. 9. 10. 11. capitibus. *Tùm tempore datarum legum ad montem Sinai*, ut ſunt, *deſcenſus Dei magnificus ac tremendus ex cœlo cum denſa nube, ſoni varii, fulgura, fumatio montis Sinai, ſonus tubæ &c.* tùm tempore Evangelii promulgati, quô Chriſtus & Apoſtoli variorum miraculorum patratione inclaruerunt, cujus generis ſunt, *Sanationes cœcorum*, *Claudorum*, *ſurdorum*, *mutorum*, *aquæ in vinum converſio*, *Spirituum impurorum ejectio*, & alia plura. Non putandum eſt, Deum omnipo-

tentiam suam adhibiturum fuisse unquam ad tot tantaque *miracula* patranda, quanta patrata legimus, tùm occasione exhibitæ legis sive promulgationis doctrinæ Mosaicæ, tùm occasione prædicationis doctrinæ Evangelicæ; si doctrina tàm Mosis quàm Evangelica, fuisset merùm figmentum crebri humani, atque ingeniosum sagacioris mentis inventum, ad populos in officio suo continendos; siquidem eopse, si Deus id fecisset, testatus fuisset se ea velle, quæ ipsum minimè decent, quæque ad illustrationem perfectionum suarum minùs sunt apta, quod de Deo dicere est proculdubiò insanire; quandoquidem Deus omni tempore flagrat amore suarum perfectionum, virtutum, ac decentiarum, proindeque nihil operatur, dicit ac facit, quod non conveniat cum suis perfectionibus divinis. Itaque dicimus, quod cùm ex una parte videmus *doctrinam* tùm Mosis, tùm Apostolorum divinis perfectionibus pereximiè congruere, proindeque Deum docere, utpote quæ ejus divitias aperit: ab altera verò parte illustria ac augusta miracula, quæ omnem potentiam ac industriam hominum superant, patrata esse, & quidem isthoc eodemque tempore, quô illa doctrina cœpit inclarescere sive promulgari; dicimus inquam illa miracula eô fine facta esse, ut talis doctrinæ θεοπρέπεια confirmetur ac stabiliatur; quæ duo procul omni dubiò ubi conjunguntur: quod nempe & doctrina promulganda Deum decet, atque adeò perfectionibus ejus congruit, & miracula illustrissima fiunt, extra omnem dubitationis aleam certum est, doctrinam illam esse divinam atque divinitus inspiratam. *Secundò.* Id quoque, quod doctrina illa, quam Scriptura tradit, antiquitate ac vetustate non solùm certat cum aliis doctrinis, verùm eas infinitis parasangis antecellit ac superat, cunctasque quoad se novitias ac nuperas reputat; siquidem, ea non solùm narrat res antiquissimas, ut sunt, *creatio mundi*, *creatio hominis*, *hominis lapsus*, *ejus redassumptio*, *diluvium &c.* verùm etiam est

cöæta-

cöætanea mundo atque humano generi, proindeque omnium doctrinarum antiquissima. *Porrò*, neque illud siccô pede prætereundum est, quod illa doctrina, in sua sanctitate, puritate ac integritate, sarta ac illibata semper fuit conservata, divinâ certè providentiâ jugitèr pro ea excubias agente, contra omnium malè sanorum atque malè animatorum perversa molimina, volentium doctrinæ illius veritati stuprum inferre, ac ejus puritatem violare. Certè si quis paulò accuratiùs mentem huc converterit ac penitiùs consideraverit, quot fuerint hostes potentissimi ac infensissimi, qui ferrô ac flammâ hancce doctrinam Scripturæ excisam ac deletam voluerunt, quot Antiochi (intellige tales qualis fuit Epiphanes) quot Diocletiani, edictô præcipientes ut libri Bibliorum Christianorum delerentur; nihilominus tamen quàm sedulò, per providam certè Dei curam, conservata fuerit hæc doctrina, mirari satis nequit doctrinæ hujus excellentiam ac majestatem, quæ tàm sarta tàmque tecta semper manserit; cùm alii libri, qui magni habiti semper sunt ab hominibus, nec ullô hostium impetu fuerunt impetiti, a temporum injuriâ haud asseri potuerint, sed penitùs ac in totum deleti perierint: neque unquam verendum est, quicquid agat mundus, quicquid hostes conjurati istius doctrinæ, quicquid moliatur Diabolus ejusque pulcherrima proles, non verendum inquàm quod hæc doctrina tollatur ex mundo fidelium; quin imò ultimis temporibus testabitur contra ejusmodi hostes, eosque inexcusabiles reddet. *Præterea* & illud egregiè in nostram *doctrinam* Scripturæ quadrat, quod plurimi populi, nationes plurimæ, plurimæve gentes consenserunt in receptionem illius doctrinæ; (uti hoc nulli non est notum) quæ licèt ritibus, opinionibus, cultu, linguâ ac studiô, sedibus a se invicem differrent; nihilominus tamen hanc doctrinam tanquàm pretiosum divinæ veritatis thesaurum lætæ lubentesque exceperunt, illamque pro religionis cultûs-

que divini norma ac regula habent. Neque credibile eſt, Deum, ſi genus humanum curet, ſi ſui ſuarumque perfectionum veros amatores amet, ſi denique in iis, qui ipſum diligentiſſimè quærunt, delicietur, & ſe ſuaque ipſis fruendum det, permiſiſſe potuiſſe atque permittere voluiſſe, ut tanta hominum multitudo, quæ Deum, ut ſummum bonum, cujus fruitione vult perfici, ſummô ac enixô ſtudiô quærit, mendacibus figmentis humani cerebri deciperetur, aliàs Deus de ſe (abſit blaſphemia) falſum teſtaretur: ſe ſcilicèt velle quæri & fruendum dare homini, ſed nolle a quærentibus inveniri, & frui ipſô volentibus falſâ imagine illudere, quæ in Deum nullô modô cadere poſſunt. Si quis verò hîc inſurgat, & dicere audeat, quod æquè facilè ſit multis in errore aliquô conſentire, quàm paucis, proindeque indè minùs accuratè probari Divinitatem illius doctrinæ, quod ſcil. eam plurimæ gentes receperint; reponemus confeſtim illi, quod quamvis id poſſit fieri, quod *ſex* æquè facilè conſentiant atque *tres* in errore aliquo (licèt id quoque non eſt univerſalitèr verum) præſertim ſi eorum mens ſit paritèr averſa a veritatis amore ac ſtudiô; paritèr præjudiciis ac concupeſcentiis obſeſſa, fieri tamen id poſſe haud puto, quod innumera multitudo, cujus pars potior amore veritatis ac ſtudiô flagrat, zelô atque timore Dei fervet, quæque in eo eſt ut exactiſſimè poſſit conformare ſua cogitata, dicta ac facta normæ veritatis, atque adeò Deum glorificet Spiritu & corpore, ut inquàm talis multitudo conſentiat in errorem, atque in receptionem figmenti cerebri humani; quia ſi id fieret, tùm ſequeretur nolle Deum eos, qui dediti ſunt atque devoti ſtudio veritatis ac cognitioni veræ veri Dei, pervenire ad cognitionem veritatis, quô nihil eſt abſurdius; ſiquidem Deus ſe ipſis cognoſcendum præbet non tantùm, verùm etiam eos in ea radicat ac confirmat. *Cæterùm* hoc etiam commune eſt illi doctrinæ, quod eam veritatem quam ape-

aperit, admiranda atque ſtupenda martyrum *copia* ſuo ſanguine confirmaverit. Etenim ſi pauliſpèr exſpatiabimur in theatrum martyrum, plurima inveniemus millia, vel dicam infinitas myriadas, quæ cæſæ ſunt cauſâ hujus veritatis. Quis quæſo dicet, quot millia Chriſtianorum vitâ privata ſint, quot ferarum tergis contecta laniatu canum perierint, quot crucibus affixi, inflammati, atque in uſum nocturni luminis, ubi defeciſſet dies, adhibiti ſint ſaltem ſub primo acerrimô illô Chriſtianorum perſecutore, *Nerone* nempe Imper: Rom. 6. qui primus ex Imperatoribus gentilibus Romæ, olim metropoli Italiæ bellicoſiſſima, imperii ſede, edictum publicavit de Chriſtianis e medio tollendis. *Quisquis Chriſtianum ſe eſſe confitetur, is tanquam humani generis convictus hoſtis, ſine ulteriore ſui defenſione capite plectatur?* quot denique crudelitatem *Flavii Domitiani* Imper: Rom. 12: ſenſerunt cujus imperii initia equidem fuerunt mitia, ſed qui poſtea factus eſt malus? quot ubique locorum, ſine ullo diſcrimine ſexûs aut ætatis, nomen Chriſti verè profitentium, ad laniatum beſtiarum rapti ac interfecti ſunt, ſub *Ulpio Trajano* 14. Imper. Rom. Quot omni ſuppliciorum genere afflicti ſub *Antonino Pio* 17. Imper. Rom.? quot miſerrimè peremti ſub *Septimo Severo Pertinace* 21. Imper.? quot graviſſimos cruciatus perpeſſi ſub *Maximino Thrace* 26. Imper.? Quot ſub Decio 31. Imper. domibus privati, patrimoniô ſpoliati, catenis preſſi, crateribus incluſi, beſtiis objecti, ignibus puniti? quot in calcariam fornacem præcipites dati ſub *Licinio Valeriano* 33. Imper. Rom.? quot martyrii gloriâ coronati ſub *Valeriano Aureliano* 36. Imper.? quot centeni Chriſtiani ad horrenda ſupplicia rapti ſub *Diocletiano* & *Valerio Maximiano* 40. & 41. Imper. Rom. Quis ergò in animum inducat, ut credat hos (de quibus mox verba fecimus) & his plurimos ſimiles, talia ferre non recuſaſſe, pro eo quod habuerunt tanquam falſum & incertum, cujus-

que auctor Diabolus malusve aliquis Spiritus & non Deus extitisset? Id certè velle credere itemque aliis persuadere, est ingentis vesaniæ ac imprudentiæ signum; siquidem novimus omnes ex æquo homines naturalitèr esse φιλοψύχους καὶ φιλαύτους *se & vitam suam diligere*, atque adeò nihil ipsis vitâ charius esse, nihil cujus curâ magis sollicitos teneret eos vitæ hujus jucundâ usurâ, pro qua prompti atque parati sunt homines cuncta bona amittere, divitias, fortunas non solùm, verùm ne omnia quidem membra æquè chara habent, quin velint unius jacturâ alterius potioris redimere incolumitatem; quantò libentius & lætius dabunt omnia quæ habent extra corpus suum pro vita: uti id videre est, Job. 2: 4. *Pellem pro pelle, & quicquid est viro, daturus est pro anima sua* h. e. vita. Ex dictis itaque tutò concludimus, quod cùm tot myriades omnis sexûs, ætatis, conditionis pro defensione doctrinæ in Scriptura contentæ sanguinem fuderint, oportebat illas probè persuasas esse de divinitate illius doctrinæ, (quin verò fuerint persuasæ nequaquam dubitamus,) aliàs enim tàm lubentes oppetere mortem (ob rationes suprà dictas) haud potuissent, idque tantô tutiùs, quod videamus non solùm illos, qui eam doctrinam ab Apostolis ipsis hauserunt, talem mortem perpessos fuisse; verùm & ipsos Apostolos, qui acti a Spiritu Sancto fuerunt Amanuenses illius doctrinæ, quales fuere Paulus, Petrus, Joannes, Jacobus minor Alphæi filius &c.

§. LV. Cùm hactenus in eo occupati fuerimus, ut demonstraremus illas notas, illa κριτήρια, illaque argumenta, quæ pro divinitate alicujus verbi (quæ prolixè in prima parte Dissertationis recensuimus) militare possunt, elegantèr ac venustè doctrinæ illi, quam Scriptura pandit, convenire, (uti hoc etiam hac parte copiosè visum est) adeò ut apta sit illa doctrina omnium hominum conscientiis se commendare, atque ceu lux quædam ultrò mentibus illorum se se ingerere,

rere, proindéque ad ſui humile obſequium at promptam receptionem, diligens ſcrutinium, ſeriam meditationem, cunctos cogere. Supereſt ergò ut concludamus doctrinam in Scripturis contentam eſſe divinam, atque adeò Deum unicè habere auctorem, nullique præter eum vel homini, vel Spiritui atque genio malo adſcribi poſſe. Non huic; quia tantùm abeſt ut hic Dei gloriam ſtudioſè quærat, eum æſtimet, celebret, laudet, honoret, atque adeò ea agat, quæ ad regnum Dei promovendum in hac terra, fideliumque in eo ſalutem ac ædificationem, ſpectant; quin potiùs Deum omnibus ſuis cogitatis, dictis ac factis turpitèr blaſphemat, nomen ejus calumniis proſcindit, illius voluntati adverſatur: fideles verò variis technis atque ſtratagematibus adoritur ac infeſtat, ut eos in ſuam naſſam poſſit pertrahere, ſicque ſuam ſortem miſerrimam ulciſci, quippè qui vocatur *ultor ſui*, Pſal. 8: 3. Non *homini*; quia in Scriptura talia myſteria atque dogmata traduntur (de quibus ſuprà) quæ nullâ unquam rationis ſagacitate ac induſtriâ inveſtigari potuiſſent, proindeque nullus homo dogmata fidei pandere, (hoc eſt, indicare modum ac viam, quâ peccator ad communionem Dei pervenire quiviſſet, nec non modum quô Deus decentèr ac convenientèr ſuis perfectionibus peccata remittere, peccatorem juſtificare & poſſit, & velit, eumque eam ob cauſam ad beatam ſui communionem admittere, ſeque ei æternum fruendum dare) ſiquidem altioris longè indaginis ſunt ea, quàm ut cadere queant ſub conceptum hominis, niſi ubi revelata ſunt, & non antea. Hinc jam ultrò ſequitur, quod is, qui Scripturam Sacram atque doctrinam in ea contentam recipit, eamque legit, meditatur ac ſcrutatur, poſſit eſſe certus, ſe verbum Dei legere, recipere, meditari ac ſcrutari, non autem commenta hominum; ſiquidem in illa talia attentus lector deprehendit, quæ tùm Deum decent, tùm perfectionibus ejus conveniunt, tùm denique noſtræ ad

Deum relationi ſunt conſentanea, adeò ut tùm demùm nos ſatisficiamus noſtro officio, quandò vias Dei h. e. ejus *molimina*, *conſilia*, *opera &c.* ex illa doctrina ſcrutamur, nosque magis ac magis omnesque noſtras actiones ritè conformamus voluntati ejus, quæ; quia pleniſſimè ex ſcriptura cognóſci poteſt, ea adeunda eſt, ea ſcrutanda, noctes atque dies meditanda, aurô ſepties defœcatô pluris æſtimanda, omnibus divitiis Ægyptiorum præferenda, ea pro caſtis atque unicis deliciis habenda; quandoquidem ex ea erudiri poſſumus de ſalute animæ noſtræ, ex ea nectar illud æternæ vitæ depromere, (Chriſti nempe meritum) quô animæ fidelium potatæ æternæ felicitatis conſortes ac hæredes fiunt.

§. LVI. Nec nos hîc multum morabuntur illi veritatis irriſores atque lucifugæ homunciones, qui veritati huic (a nobis hactenus probatæ) officias obducere conantur, rationesque a nobis allatas elumbes reddere ſatagunt, cùm *fidem* omnem ſolâ auctoritate dicentis ac teſtantis veracitate niti cavillantur, non verò ejuſmodi argumentis artificialibus adjuvari. Etſi enim illis id admittamus atque lubentèr fateamur, quod fides nitatur auctoritate teſtantis, haud tamen ſequitur inde argumentis non eſſe locum; ſiquidem antequàm fiat aſſenſus, atque adeò fides teſtimonio adhibeatur, debet innoteſcere illud teſtimonium ex certis argumentis, quæ me convincere poſſunt teſtimonium illud eſſe verax, atque adeò antequam credam ac aſſentiar teſtimonio, debeo perſpectam habere divinitatem teſtis ſive teſtantis ex certis argumentis, aliàs credere ipſi non poſſem, imò nec teneor; quia ubi non adſunt, idoneæ atquæ ſufficientes, alicui credendi rationes, proptèr quas illi tutò credere poſſum, talis teſtis teſtimonium non eſt *ἀξιόπιστον fide dignum*, teſtimoniumque ejusmodi teſtis nullum eſt; quia nullum eſt fundamentum, fundamentum autem nullum eſt; quia nullæ ſunt rationes, & quia nullas habet rationes quibus ſuum

teſti-

testimonium stabilire queat, nullam etiam fidem meretur: proculdubiò si in re ullâ, hac in re etiam verat illud. *Rem ignotam credere, est nihil credere:* item rem sive dogma aliquod sine prægnantibus ac sufficientibus rationibus recipere, est *domum* super *arenam* instar viri *fatui ædificare*, in quam *flumina ac venti dùm impingunt*, *cadit illa & casus ejus erit magnus*, Matt. 7: 26, 27. Igitur requiritur tùm ut ad sit certa ac vera cognitio & testis, & testimonii, tùm ut ad sint certæ rationes, quæ me movere aptæ sint ad assentiundum illi testimonio, atque adeò firmum fundamentum cui super ædificem meam fidem, nec a quovis vento doctrinæ circum agi ac abripi me patiar: tales autem rationes ac talia fundamenta sunt illa argumenta divinitatis Scripturæ, quæ suprà recensuimus, quibus moti certò credimus illam esse divinam.

§. LVII. Illud etiam hîc probè observandum est, scilicèt quandò nos dicimus notas suprà recensitas apposité ac apprimè convenire illi doctrinæ, quam Scriptura pandit, ne nos quis ita sentire putet, acsi statueremus, quod notæ istæ paritèr ac æquali gradu fulgeant atque splendeant in omnibus Scripturæ Sacræ libris, vulgo Canonicis dictis: neque quod in qualibet istorum librorum pericopâ aut versiculô occurrant, atque adeò in singulis Scripturæ partibus a toto corpore separatis; verùm dicimus, quòd, quemadmodùm stella ab alia stella luce differt, quanquam omnes in eo conveniant, quod sint stellæ, & quod in cœlo sint, ac proin quælibet propriô gaudeat vortice; haud secùs in hoc doctrinæ sacræ cœlo, libri quidam splendidiores atque uberiores divinitatis suæ radios emittunt, alii longè pauciores; siccinè longè vividiùs ac clariùs radiant istô splendore ac fulgore Evangelistæ & Epistolæ Paulinæ, quàm liber Ruthæ vel Esthe-ræ; nihilominus tamen certum est, in omnibus istis libris Canonicis, ea veritatis ac majestatis sublimioris esse argumenta,

quæ manifestò arguunt libros illos esse divinos, vel saltem nihil in iis observari ac deprehendi potest, quod eorum divinitatem suspectam atque dubiam reddere queat; proindeque ut ea, quæ in iis narrantur non sint verissima, prout ea narrantur sive bona sive mala, sive verum sit sive falsum, in quantum tamen ut historica narrantur sunt vera; quia sunt illa conscripta ex instinctu Spiritûs Sancti: denique dicimus, quòd sufficit si istæ notæ, illaque argumenta divinitatis reperiantur in Scripturis divinis, prout illæ considerantur conjunctim & simul sumptæ, & unum corpus sacræ istius doctrinæ constituunt, habentque mutuam cuncta ad illud relationem.

§. LVIII. Hoc unum adhuc nobis, secundùm tenorem ordinis suprà notati, probandum restat, scilicèt, quòd libri Mosis suam habeant divinitatem, idque eò majori cum sollicitudine agendum; quia ipse fuit antesignanus omnium Scriptorum Sacrorum, atque adeò omnia sequioribus temporibus ipsius doctrinæ tanquam basi earum rerum, quæ Deus in Ecclesia sua acturus erat, superstrui debebant, undè fit, ut posterioris ævi Sacri Scriptores passim in suis scriptis testentur, se non solùm nihil extrà Mosen dicere ac docere, sed etiam ubique ad Mosen & legem per illum evulgatam, ceu normam omnis doctrinæ falli & fallere nesciam, suos auditores provocare, atque seriò illis inculcare, ut suam doctrinam, sive ea quæ ab illis audiunt, ad illam legem examinent, cum ea conferant; quapropter probata semel hîc divinitate librorum ac doctrinæ Mosis, mox facilis erit conclusio formatu de divinitate reliquorum scriptorum: ad eam verò probandam haud est operæ pretium, ut omnes istas notas, atque ista argumenta, quæ possunt militare ac excubias agere, pro divinitate alicujus verbi, quæque sunt Scripturæ Sacræ, iterùm recenseamus, (id supra præstitimus) & per singula eamus, (licèt id posset fieri) sufficiat hîc unum at-

que aliud adduxisse. *Primum* sit, quòd libri Mosis talia præcepta, tales leges nobis exhibent, de Deo, de nobis, de aliis hominibus, de relatione hominis ad Deum & officiis circa ipsum præstandis, de relatione hominis ad hominem, ad res alias quascunque, deque officiis circa eas præstendis; ac proin de iis tàm sancta tàmque justa ac æqua, Dei naturæ & perfectionibus, nec non hominis naturæ atque reliquarum rerum existentiæ apprimè congrua proponunt, quæ nos firmitèr convincunt & quasi vi aliquâ impellunt, ut illarum originem a Deo non autem ab hominibus repetamus. Quod attinet *Deum*, jubent passim ut nos ad animum revocemus & unicè illum agnoscamus pro Deo vero, Sanctô, justô, misericorde, longanimi, gratiosô, quippè præter quem *nullus amplius est*, *nullus cum illo Deus*, qui sit vel verus, vel sanctus, justus, misericors &c. illum esse qui *morte afficere & vitæ restituere*, *frangere & sanare potest*, *illum esse Deum in cœlis supernè*, *& in terra infernè*, Deut. 4: 35. & 39. & 32: 39. denique jubent ut summoperè illum diligamus ceu summum nostrum bonum, quod nos omnimodò perfectos ac beatos reddere potens est, tùm quoad animam tùm quoad corpus, tùm quoad intellectum tùm quoad voluntatem, idque faciamus *ex toto corde*, *ex toto animo*, *ex omnibus viribus nostris*, Deut. 6: 5. ipsius majestatem, dignitatem suspiciamus, æstimemus, veneremur, cum debitâ humilitate ambulantes in omnibus viis ejus, eum colamus tanquam Jehovam nostrum, ipsi ut Domino Dominorum, *fortissimo*, *maximo*, *potentissimo*, summèque formidabili humile obsequium præstemus; proindeque nihil ex nostro lubitu, nihil ex nostra voluntate vel secundùm eam tanquam unicam verè agendi normam; sed omnia ex nutu, ac juxtà voluntatem ipsius agamus, ut benè sit nobis, Deut. 10: 12, 13, & ℣s. 17. præterea ut ipsum tanquàm unicum nostrum exemplar omni virium contentione imitemur, simus *justi* uti ipse *justus* est,

 Sancti

Sancti quemadmodùm ipſe *Sanctus* eſt, hoc eſt, quemadmodùm ipſe amat ſe ſuasque perfectiones, atque adeò eas ipſô opere, dictis & factis demonſtrat, ſimulque vult ut eæ pro talibus agnoſcantur quales ſunt; ita nos etiam enixè ipſum ipſiusque perfectiones amemus non ſolùm, verùm etiam cogitationibus, dictis ac factis noſtris eas exprimamus, ac proin eò contendamus ut alii quoque, qui eandem nobiscum habent naturam, ipſum, perfectionesque ipſius ament, celebrent, æſtiment, dictis, factisque ad vivum exprimant, uti videre eſt, Lev. 19: 2. Coll. Cap. 20: 26. item Lev. 11: 44. Quid his ſanctiùs? quid Deo ejusque perfectionibus, & hominis ad Deum relationi convenientiùs excogitari poteſt? nihil certè. Quod verò nos & alios homines attinet, æquè ſancta, æqua, ſunt iſta præcepta, quippè quæ jubent, quid nobis ſit faciendum circa nos, circa alios homines, eos æquè *amandos eſſe ac nosmet*, quod tam latè debet accipi, quàm latè patent ea, quæ nobis atque aliis hominibus vel prodeſſe poſſunt, vel nocere, tùm quoad corpus, tùm quoad mentem, tùm quoad intellectum tùm quoad voluntatem (quæ hîc prolixè nunc recenſere nolumus) videantur in hanc rem, Lev. 19. verſus 13, 14, 15, 17, 18. item verſus ibid. 32, 33, 34. Cæterùm quod attinet res alias quascunque, paſſim jubent, ut illis ritè utamur, tanquàm operibus Dei, adeò ut illis utentes poſſimus fieri ſancti quemadmodùm Deus Sanctus, juſti quemadmodùm Deus juſtus, hoc eſt, omnibus illis ita utamur, ut idonei ſimus ad laudes atque perfectiones Dei celebrandas, æſtimandas, atque adeò ad id omne tribuendum ac dandum Deo quod Dei eſt, rebus aliis quod earum eſt, hominibus quod hominum eſt. His ita præmiſſis jàm tutò concluderè licet, ſcilicet cum talia Sancta, æqua, juſta, Deum & ejus perfectiones decentia præcepta pandant nobis libri Moſis, & illa non poſſint hominem habere auctorem; ſiquidem id excedit vires ejus non tantùm, verùm etiam
quia

quia ille invenit istam relationem hominum ad Deum, rerumque aliarum ad se, liquidò sequitur librorum Mosis auctorem primum, ac principem causam esse Deum, atque adeò divinos esse.

§. LIX. *Alterum* sit, quòd libri Mosis talia dogmata pandunt, quorum sublimitatem mens humana quamvis sapientissima mirari, puritatem debitè æstimare, sapientiam suspicere, decentiam stupere, satis superque nequit; quibus tamen conscientia hominis suum testimonium non denegat, verùm ea exosculatur, iisque assensum præbet: quippè quæ deprehendit omnibus numeris divinæ excellentiæ ejusque perfectionibus apprimè convenire: utique magnificum & augustum dogma est (ut alia omittam, atque taceam fœdus Dei cum Noacho, cum Abrahamo patre omnium credentium &c. initum, & alia id genus dogmata, de Sacro S. Trinitate, de Christi incarnatione, passione, morte &c. ipsis, & aliis fidelibus proposita, quæ tulè exponuntur a Mose) fœdus illud gratiæ, cum Israële ad montem Sinai a Deo pactum, quô Deus quasi viscera sua pandens, exponit animum suum atque indolem, (si fas sit ita loqui) quâ indole ducatur erga Israëlem, quandò promittit se futurum ipsis in Deum, imò se esse jam *Jehovam* ipsorum, h. e. illum, qui asserturus est illos ex omni malo, tàm corporali quam spirituali, quique futurus esset ipso actû ac opere illorum redemtor, sanctificator, regenerator, justificator, glorificator, verbô qui ipsos per viam ab ipso paratam introduceret in cœlestem illam beatitatem, ubi ipso sine fine jucundè fruerentur, Exod. 20: 2. Illud autem fœdus, fuisse fœdus gratiæ omnis mecum agnoscet, modò accuratè considerret tùm auctorem illius fœderis, Filium Dei, Act. 7: 38. tùm eos quibuscum hoc fœdus percussit Deus, cum miserrimis & vita indignis peccatoribus, Israëlitis nempe, qui se crebris adversus Deum murmuribus non solùm, verùm

etiam

etiam nativâ corruptione reos ac damnabiles fecerunt: tùm denique verba, quibus Deus eos alloquitur, tùm insupèr hoc, quòd illi fuerint filii Abrahami, cum quo olim Deus fœdus gratiæ pepigerat, atque adeò fieri non poterat, ut diversum fœdus cum filiis ipsius pangeret Deus; siquidem ejusdem boni constituerentur hæredes, vel ut clariùs dicam ad idem bonum hæreditandum vocarentur: *dogma* verò ceremoniarum, quod attinet, quas Deus ex beneplacito suo populo Israël imposuit, illud quoque tale est, ut ingentem divinæ sapientiæ thesaurum aperire nobis queat, si ejus finis ultimus atque terminus ad quem collimat, probè consideretur: scilicèt omnibus illis ceremoniis sapientissimus atque prudentissimus Deus, ceu totidem picturis ac liniamentis, voluit depingere Christum cum suis beneficiis Ecclesiæ suæ olim præstandis, omniaque bona per Spiritum suum *populo suo peculiari* conferenda *novissimò tempore*, sive in *fine dierum*, atque adeò lætiora illa dona Spiritûs Sancti, quæ Ecclesiæ N. T. impertiturus erat; uti hoc quivis accuratiùs illarum ceremoniarum scrutiniò vacans animadvertere facilè potest.

§ LX. *Caterùm* hoc etiam plurimùm militat pro divinitate librorum Mosis, scilicèt, quòd illi tales contineant Prophetias, quæ agunt de rebus longè post vitam Mosis futuris non tantùm, verùm etiam de rebus liberis & contingentibus, earumque omnes circumstantias tàm accuratè determinant, ut nihil in iis sit futurum, quod non sit prædictum, & non alitèr sint futura quàm prædicta sunt, nec aliô tempore, hoc est, seriùs aut citiùs, quàm quod prædictum est; quas procul omni dubiò nullus mortalium potest prædicere, nullus nosse, nisi Deus qui solus habet tantam scientiam, sapientiam, tantamque potentiam, ut & futura prædicere queat, & simul ea tempore suô facere: uti hoc *καύχημα, hanc gloriam*, Deus sibi soli vendicat, Esa. 46: 9, 10.

Ego

Ego ſum fortis, & nullus præter me, ego indico a principio finem, & ab antiquitate, quæ nondum facta ſunt. Quisquis tales Prophetias cernere cupit in libris Moſis, omiſſis iis, quæ ſonant de multiplicatione ſeminis Abrahami, deque Schilo pacificatore illo, (Chriſto nempe) ex tribu Juda orituro, nec non de ſtella ex Jacobo oriundâ, (quæ eſt idem Chriſtus) ac proin de Propheta illo, quem ſuſcitaturus erat Jehova in locum Moſis ſervi ſui fidelis in tota domo ejus, quique locuturus erat verba Dei; rogo ut adeat ultima iſta Capita librorum Moſis, Deut. 30: & 32. & 33. in quibus magnam atque amœnam certè illuſtriſſimarum Prophetiarum ſylvam reperiet, quæ fata populo Iſraëlitico, *ultimis temporibus* ſive in *fine dierum*, hoc eſt N. T. eventura, clariſſimè ac uberrimè depingunt: quomodò nempe Iſraël ſit defecturus a Jehova Deo ſuo, atque adeò rejecturus rupem ſalutis, (Chriſtum nempe, in carne venturum, cujus adventûs ſigna luculentiſſimè pandunt) eamque ob rationem quomodò Deus ipſum rejecturus, terrâ ſuâ, (terrâ Canaan) expulſurus, inter gentes diſperſurus, gentes autem in locum illorum aſſumturus, easque nomen Chriſto daturas, unicèque per ipſum ſalutem expectaturas: ſed & illos rurſùm noviſſimô tempore (h. e. quando omnia regna erunt Dei) aſſumturus, ad fœdus ſuum, ad communionem ſuam, & facturus, ut convertant ſe ad *bonitatem Jehovæ*, & quærant *Regem* ſuum *David*, Chriſtum ſcilicet, qui recturus eſt illos cum pace & tranquillitate. Quas Prophetias prædicere cùm nullus mortalium quiverit, niſi is, cui nota ſunt omnia ab ævo opera, quique novit quid eventurum ſit ultimis temporibus: manifeſtò indè colligimus, libros Moſis, quia tales continent Prophetias, Deum habere auctorem, adeoque divinos eſſe.

§. LXI. *Demùm.* Haud elumbe divinitatis librorum Moſis (ut alia, quæ de miraculis pereximiis, deque modo tra-

dendi, hîc dici possent, missa faciamus) argumentum est illud quoque; scilicèt, quòd omnis religio & fides, nec non vera via ad vitam æternam in illis tradatur; siquidem Moses hoc illustri elogio ac encomio commendatus est Eccesiæ, quòd fuerit *servus Dei fidelis in tota domo ejus*, Num. 12: 7. coll. Heb. 3: 2. at verò isthoc elogiô insigniri haud potuisset, nisi omnibus fidelibus, quicunque tandem futuri essent, & quocunque tempore, qui ad interiora domûs Dei lustranda admittuntur, viam monstrâsset planam ad vitam æternam obtinendam, viam, quam omnes rectô pede prementes possent censeri domestici ac familiares illius domûs: cùm autem domûs Dei decora sint non tantum Judæi, atque adeò non solùm illi constituant domum istam totam, qui sunt secundùm carnem ex patre Abraham; sed etiam gentes, quæ premunt vestigia fidelis Abrahami, liquidò indè sequitur Mosen fuisse fidelem servum non solùm illius domûs Dei, quæ constituebatur ex Judæis, verùm etiam illius, quam constituere debebant gentes: undè etiam Apostoli gentium ministri, similitèr fideles in domo Dei servi, nihil extrà Mosen voluerunt dicere, Act. 26: 22. „Regula igitur & Canon „falli ac fallere nescius, omnis Prophetiæ & doctrinæ post „tempora Mosis prædicandæ, Moses est, hoc est, doctrina „per ipsum promulgata, adeò ut, quicunque in nomine Dei „veniret ad populum Israëliticum quioquam locuturus ac „prophetaturus, eum oporteret ea dicere, quæ Mosis dicta „illustrarent & confirmarent, neutiquam verò illis vel de„rogarent vel superadderent, Deut. 4: 5. Hinc & Christus ad testimonium Mosis, tanquàm *Patris sui* verbum de se, provocat, Joh. 5: 37. 39. 45. arguitque Judæos sibi non credentes, quod nec Mosi, quô tanquam pereximiô Prophetâ aliàs gloriabantur, credant. Vers. 46, 47. Ex quibus omnibus patet, debitam in esse divinitatem libris Mosis, adeò ut, qui eam detractam volunt illis, sint injurii in doctrinam in

 illis

illis contentam non ſolùm, verùm etiam in teſtimonium Apoſtolorum & Chriſti Domini, qui paſſim iſtam doctrinam approbârunt, ad eamque tanquàm lydium lapidem omnis doctrinæ ſuos auditores remiſerunt.

§. LXII. Hiſce ita probè obſervatis, reliquum adhuc eſt, antequam oratio noſtra attingat tranquillum portum, ut paucis occuramus erroribus eorum, qui huic veritati offucias obducere nituntur, atquè adeò qualibuscunque argutiis ſuis divinitatem librorum Moſis labefactare atque elumbem reddere ſtudent. Omnia verò illorum (ut brevitèr rem abſolvamus) hominum ratiocinia atque argutiæ, ad hæc ſummatim Capita revocari poſſunt: ſcilicèt, ut vel negent impudenter Moſen unquam extitiſſe, vel ſi extiterit eum fuiſſe inſignem impoſtorem, vel quòd populus ille rudis ac novitate rerum perculſus ac allectus conſenſerit in iſtud mendacium, vel denique quòd alius ſcripſerit illos libros, ſi non omnes ſaltem aliquos ex illis, non verò Moſes; atque adeò poſt tempora ipſius fuiſſe obtruſos populo illi. Ad ſingula ut paucis aliquid dicamus operæ pretium eſt. *Quod ad prius*, de eo dubitare utrùm Moſes exſtiterit nec ne, æquè ſtultum ac veſanum eſt, quàm ſtultum eſt in dubium vocare Julium Cæſarem aliquando vixiſſe, ac Romanorum Imperatorem fuiſſe; ſiquidem id ſecundùm unanimem ac conſtantem relationem hiſtoricorum fide dignorum, conſtantèr a numeroſa multitudine creditum eſt; & ſanè nulla eſt cauſa, cur de eo nimioperè dubitemus, niſi velimus omnem certitudinem hiſtoriæ ejurare, omnemque fidem illi præfractè denegare; quod ſi faciemus, eâdem operâ negare poſſumus unquam extitiſſe Conſtantinum Magnum, illum fuiſſe Imperatorem tùm Chriſtianum, tùm in Chriſtianos benè animatum: unquam extitiſſe Ciceronem, Heſiodum, Diodorum Siculum, ſcriptaque illa, quæ ſub nomine illorum hodie apud nos circumferuntur, non eſſe ſcripta illorum. Proculdubiò

si ita rem instituerimus, omnia in pura puta mendacia, in nugas ac fabulas aniles convertentur, & nullus erit locus certitudini inter homines, atque adeò res humanas; sed hoc solùm erit certum; *Omnia esse incerta* (uti olim Sceptici dicebant) *& nihil eße certi.* Itaque cùm hoc ne de ipsis quidem scriptis humanis apprimè ac cum verisimilitudine dici potest; multò minùs certè hoc de Mose ejusque scriptis, *ceu servi Dei fidelis in tota domo eius*, dicendum est; quia si unquam liber aliquis ob rationes prægnantes ac sonticas potuisset ab aliquo populo aboleri ac vulcano dari, potuisset certè hic a Judæis; siquidem sic a legis durissimo jugo se liberâssent, nihilominus tamen vix ullus, imò ne vix quidem, majori cum studiô ac puriori zelô ab iis exceptus & conservatus est adhunc usque diem, quàm liber Mosis. Quod ad *secundum*, *Mosen fuiße insignem impostorem*, qui variè atque artificiose consutis hinc inde fabulis populo Israëlitico imposuerit, nullâ cum veri certè specie dicitur; quia quicquid Moses fecit, id non in angulo (ut impostores solent) aut in oculto ab omni hominum consortio remoto fecit; sed publicè coram ingenti multitudine ac populi totius concione, coram Sole. Etenim quæ dicuntur de eductione populi ex Ægypto, de peregrinatione illius in deserto, 40. annorum temporis spatium complectente, de cibatione facta pane cœlesti, Manna nempe, de potatione ex petra, & de aliis similibus, ea talia sunt, ut in illis impostura non habuerit locum; quia illa facta sunt præsentibus ac videntibus ipsis Israëlitis. Si autem quis eò delabatur, ut dicat ibi loci fuisse magnam copiam Mannæ, coturnicum, fontesque plurimos obturatos, qui tunc aperti sunt, & fuisse tunc refluxum maris rubri; ipsi reponemus, quòd non tantùm illa facta sunt a Mose, atque adeò hæc quædam esse ex istis miraculis; sed denique si ibi loci (ut illi ajunt) fuisset copia Mannæ, fontes aperti &c. quomodo hoc non potuissent alii

quo-

quoque præter Mosen scire? & an putamus populum Ægyptium tàm stultum tàmque incircumspectum fuisse, qui non observaret refluxum maris? denique quia talis impostura, ac tale mendacium quale ipsi impingunt Mosi fallò, nequaquam potest consistere cum elogio illo perillustri, quô Deus commendat ipsum Ecclesiæ, quòd *fuerit servus fidelis in tota domo ejus*, Num. 12: 7. nisi velimus dicere Deum subtilia talia mendacia approbare, quod sanè dicere est injurium esse in Deum, ac reum læsæ Majestatis divinæ; siquidem Deus cô se nomine commendet, quòd sit verax & fons omnis veritatis, proindeque nil, nisi id quod verum est testari ac approbare potest: præterea quia cum instituto Mosis hoc planè adversâ fronte pugnat, qui θεοκράτειαν *divinum regimen* voluit erigere inter istum populum, atque adeò unicè ad timorem & glorificationem Dei, ad leges & præcepta ejus diligentèr observanda adducere, uti hoc passim in libris ipsius videre est: demùm quia Christus, & Apostoli, fidi certè ipsius Discipuli, non solùm nos sæpissimè relegant ad audiendum Mosen, verùm etiam testantur se nihil extra Mosen dicere, Act. 26: 22. at verò Apostoli, multò minùs Christus, id fecissent unquam, si Mosen tàm insignem impostorem atque callidum nugatorem deprehendissent fuisse: aliàs enim ejusdem imposturæ nomine infames fuissent illi quoque, quod de Christo, & de Apostolis ipsius Discipulis dicere, vetat nos pietas & reverentia illis debita. Ex jam dictis manifestè sequitur Mosen non fuisse impostorem, sed fidelem servum Dei in tota domo ejus.

§. LXIII. Quod ad *tertium*. Populum illum rudem ac novitate rerum abreptum, consensisse in fraudem ac imposturam illam pernegamus; tùm quia nullâ cum specie veri concipi potest, nullum repertum fuisse in numeroso isthoc populo, qui aliquâ religione, aliquô amore veritatis non fuisset impeditus, quominùs conspiret in tales fraudes ac imposturas

nefandas: tùm quia fuerunt homines rationales, proindeque quicquid fecerunt, proculdubiò fecerunt ob certas causas, ob certumque finem; non verò propterea ut a posteris suis derideantur, simulque ab aliis, ad quos res illæ deventuræ erant; quin potiùs ut apud eos nomen, memoria, ac decus eorum celebraretur, laudaretur, debitèque æstimaretur; at verò hoc fieri non posset si in tam tetros errores consensissent; tùm quia si id fecissent, fecissent extra omne dubium spe lucri alicujus, vel gloriæ, vel laudis: lucrum autem tale nullibi extat ipsis propositum, verùm ubique dira judicia, pœnæ gravissimæ illis denunciantur ac intentantur; ac proin tantùm „abest ut ex facto illo gloriam ac laudem apud exteras gentes „conciliarent, ut contrà odium & contemptum omnium „meritò in se accerserent: quis enim dixerit ad decus gentis „pertinuisse, ut eorum murmura & peccata toti mundo at- „que oculis hominum exponerentur, ut arguerentur tan- „quam σκληροτράχηλοι *duræ cervicis* & ingratissimi morta- „lium, ut pœnæ severissimæ quibus Deus eorum pervicatiam „& rebellionem ultus erat, non semel recenserentur, imò „quis non videat hæc in æternum gentis illius probrum ce- „dere? tùm quia leges accepit ille populus duras, suis concupiscentiis, pravitatibus, adversâ fronte pugnantes, quarum observationi continuò vacare debebant, ut ne quid polluti, impuri, & alia id genus tangerent: aliàs enim ultricem Dei manum ferre debuissent; sed non solùm hoc, verùm etiam aliis gentibus ridiculæ fuissent istæ leges, isti ritus, quibus ferendis se ille populus submisit, nisi habuissent spiritualem δήλωσιν, quam mentis oculis intuentes alacriori ac lubentiori animô exequerentur istarum legum jussa. Unô verbô; ergò nulla causa est, cur populus iste dicatur consensisse in talem imposturam ac fraudem, qualem illi scioli homunciones, vel potiùs irrisores veritatis, fideli servo Dei Mosi fallò inurunt. Quod ad *ultimum*. Non potuit talis liber ab

alio ſcribi, ac poſt tempora Moſis illi populo obtrudi; (uti ſomniant; *Spinoza*, qui auctorem librorum illorum Ezram ſuſpicatur fuiſſe; *Richardus Simonius*, qui ſtatuit libros illos eſſe compilatos ex ſcribrarum iſtorum commentrariis & voluminibus, qui acta reipublicæ Iſraelis diligentèr deſcripſerant, ex juſſu Moſis; *Johannes Clericus*, qui adſcribit iſtos libros illi ſacerdoti Iſraelitico, qui ex juſſu regis Aſſyriæ miſſus, ut novos Palæſtinæ incolas edoceret ritum, quô regionis iſtius Deus amabat coli, 2 Reg. 17: 27.) ob ſequentes rationes; *quia* tota religionis Judaicæ auctoritas reſolvitur in Moſen, proindeque non poteſt cogitari aliud tempus, tempore Moſis, quô inceperit religio iſta: denique quia illa, eodem iſto tempore cæperunt obtinere ac in uſu eſſe ſingulis diebus, quæ dicuntur, de obſervatione temporum, dierum, feſtorum, de ſacrificiis, lotionibus &c. quod fieri nequaquam potuiſſet, ſi poſt tempora Moſis id factum fuiſſit: porrò quia ab illo eodemque tempore, a tempore nempe Moſis, obtinuerunt certa quædam monumenta, in iſthoc populo, qualia fuerunt Paſcha, arca &c. præterea quia non poterat illa doctrina à populo tàm immorigero recipi, niſi talia miracula facta fuiſſent a Moſé; ſiquidem Moſes non habuit talem inter eos auctoritatem, ob quam reciperent illam doctrinam. Cæterùm quia cavit hoc Moſes, Deut. 4. 2. ne illis omnibus, quæ ab ipſo dicta ſunt & ſcripta aliquid adderetur, unde etiam eum in finem voluit jugiter libros illos legi, expendi, meditari; fieri ergò non potuit ut novus ſit ille liber, ab alio poſt tempora ipſius ſcriptus atque populo obtruſus: inſupèr quia quædam miracula ab iſthoc tempore fuerunt perpetua in populo illo ex. gr. *Lepra ædium*, *exploratio adulteræ conjugis*, *Urim* & *Thummim* &c. Accedit & hoc, quod illi, qui omnium iſtorum magnificorum operum contemplatores fuerunt, non ſolùm teſtes vocentur ac nuncupentur: verùm etiam obligentur ad

hoc

hoc, ut posteris suis illa acutè ingerant, illis narrent, quàm magnifica ac illustria facinora Deus præstiterit in gratiam illorum; at verò hoc narrare nequaquam potuissent, si post ista tempore ea ipsis obtrusa fuissent. Sed quid ego hoc rationibus confirmare pluribus laboro? cùm sola Domini *Jesu actoritas*, atque Apostolorum, Evangelistarumque constans de eo testimonium omni exceptione majus, huic liti dirimendæ sufficiat. Christus Mosi scriptionem librorum, qui sub nomine ejus noti sunt, non semel attribuit (uti id supra quoque visum est) Joh. 5. 46. 47. Luc. 24. 27. 44. Pereximium illud Evangelistæ in hanc rem testimonium, Mar. 12: 19. ubi Marcus narrat, venisse ad Dominum Jesum Sadducæos, dicentes. *Præceptor, Moses scripsit nobis*, ut si *cujus pater mortuus sit.* &c. undè palam est, libros Mosis non ab alio aliquo auctore, sed ipso Mose scriptos esse, proinde illa quæ ab ipso narrantur ab initio ita facta esse, siquidem talia nunquam facta sunt non tantùm: verùm etiam nullus in mundo existit, qui similia istis magnificis operibus, multo minùs talia miracula finxisset, si verò imitabilia illa essent, utique exstitisset aliquis, qui talia finxisset.

§. LXIV. Ut verò hîc illud verbô addamus, ex jàm dictis suâ luce manifestum est, quid de reliquorum Prophetarum tanquàm legitimorum successorum Mosis, hosque mox sequentium Evangelistarum, Apostolorum, librorum divinitate sit judicandum, proculdubiò idem quod de libris Mosis; siquidem de similibus idem est judicium, & quia talem doctrinam unanimitèr illi omnes pandunt, quæ conformis est omnibus numeris doctrinæ Mosis, quemadmodùm id fieri oportebat, secundùm verba Mosis, fidelis servi Dei in totà domo ejus, quæ sic sonant, Deut. 13. vers. 1. & sequentibus. *Quum surgens in medio tui, Propheta aut somnians somnium &c.* In toto hoc capite Moses instruit auditores suos, atque jubet, ut circumspecti sint in aliquo Propheta recipiendo vel repu-

repudiando, & ne quosvis absque discrimine, se se mentientes Prophetas esse, recipiant: verùm eos qui ab observatione istorum præceptorum, quæ per ipsum data sunt, ac proin a cultu illius Jehovæ veri ac summi Dei, quem ipse illis manifestaverat, non abducerent, sed in omnibus iis consentanea docerent, atque jugitèr ea inculcarent ac ingeminarent: uti hoc videtur colligi posse tùm ex toto isthoc capite, tùm imprimis ex vers. ultimo illius capitis: sed denique quia argumenta, quæ suprà, tùm ad divinitatem Scripturæ sacræ in communi probandam, tùm speciatim ad divinitatem librorum Mosis stabiliendam, adduximus, æquè militant pro divinitate reliquorum librorum tùm Prophetarum, tùm Evangelistarum, tùm Apostolorum (quæ hîc prolixè repetere non est operæ pretium) sive Præcepta, sive Dogmata, sive Prophetiæ &c. considerentur. Nihil igitur nunc restare (quanquam multa alia potuissent occasione hujus materiæ dici) putamus, nisi, ut insigni quadam *νουθεσίᾳ admonitione* claudamus nostram orationem. Observandum itaque ac memori mente tenendum, si qua (verba sunt cujusdam b. m. Viri) nobis de Sacræ Scripturæ divinitate oriatur dubitatio, ut solet Satanas inter ignita sua tela & hoc vibrare, non tàm dandam esse operam (quamvis nec illa negligenda est, si rationabiles volumus audiri) conquirendis plurimis rationibus, ad eam compescendam, quàm animum applicandum divinæ faciendæ voluntati & prosequendæ virtuti, & compescendis vagis concupiscentiis: deinde non cessandum a lectione, imprimis Psalmorum & Epistolarum Apostolicarum; adhæc sedulò atque ardentèr precandum, ut Spiritus sanctus velit corda nostra rectè afficere: imprimis verò sacra Scriptura in deliciis summis, reverentèr ut decet habenda est. Quare ea 1. Nocturnâ versanda diurnâque manu, Psal. 1. 2. eumque putandum periisse diem, quô eam non degustaverimus & fructum aliquem ex ea reporta-

 veri-

verimus. 2. Legenda autem singulari cum animi affectu, non oscitantèr, neque etiam arrogantèr. 3. In magna felicitatis parte reponendum est, si in illa profecerimus: non enim parum est Deum intelligere, imprimis de tantis rebus loquentem, quantas Scriptura sacra nobis pandit. 4. Præterea omni receptione dignum judicemus quicquid ex ea didicerimus, non tergiversantes, non cum carne & sanguine deliberantes, multò minùs corda obdurantes. 5. Denique studeamus quam maximè veritatem ejus reddere veram in nobis, ut nos ipsimet habeamus verum ejus experimentum, verumque fiamus exemplum. Ita perveniemus ad eam felicitatem, ut סוד יהוה *arcanum Jehovæ* Psal. 25: 14. sit apud nos, & familiari illô Dei fruamur alloquiô & consortiô, quod nobis erit cœlestis gloriæ infallibile præludium, quâ nos mactabit, cùm venerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in credentibus omnibus. Cui.

Μόνῳ, δόξα καὶ μεγαλωσύνη, κράτος καὶ ἐξουσία, καὶ νῦν καὶ εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

COROLLARIA.

1. *Formatio Evæ ex costa somnô sopiti Adami, insignis est typus, ex sanguine Christi mortui nascentis Ecclesiæ.*
2. *Arbor scientiæ boni & mali fuit Sacramentum h. e. signum rei alterius.*
3. *Probè excussâ emphasi illorum prædicatorum, quæ (Psal. 110. coll. Hebr. 7.) de Melchisede-*

co prædicantur, non possumus in castra eorum descendere, qui Gen. 14. per Meschisedecum intelligunt merum hominem, atque adeò Regulum aliquem.

4. *Gen. 15. 5, Particulam* כה *præter communem ac vulgarem significationem, existimamus commodè admittere posse hunc etiam sensum, quòd scil. eâ indigitetur, Abraamum ibi etiam, h. e. in cœlo habere semen, Christum nempe, qui ex semine ipsius assumturus esset carnem: tùm denique quòd isthic h. e. in cœlo sit vera hæreditas seposita veris Abraami filiis.*

5. *Una omni ætate Ecclesiæ fuit via salutis, Christus nempe, proindeque per eundem salvati sunt olim Patres, tùm sub promissione tùm sub V. Testamento.*

6. *Conflatio vituli aurei a populo Israël facta, non fuit primaria ac præcipua causa impositionis jugi illius portatu difficilis, quô per omne vitæ tempus luctabantur Israëlitæ.*

7. *Dari Diabolos, eosque ex permissione Dei posse operari in corpora, contra eos asserimus qui id hodie negant.*

8. *Sed etsi demus talia asserentibus non dari Diabolos (quanquam id non sit verum) tamen eô ipso non effugient peccatores justas Dei pœnas peccato meritas, quas effugere volunt.*

F I N I S.

שירת אהבה ושמחה ביום המשאלות בנפיא הועדי
אבץ פרתון אחי ורעי עד עולם נאהב ונחמד:

בעדות תמימה אמונה — כעלמה וכבתולה:
אין מעמד בלא אמת — ואם בן המצתלערת:
נחרפרת היא בעיניו -- — ונגרשת ממצנפותיו:
פגועיי הוא לנפשו -- — בנאצו את־המנורתו:
ידי פתליונים משתמדים — יד חסידים משתובבים
הלא כשר יהוה ההוא - — שהעידה שאהב הוא:
ולשון הרמיתורת -- — ישברוה כל־פטשות:
עד הרגהן ארת חייהן - — עד האמת תחיהן --:
דור שבאמרם הישרים — מתדמים להמלאכים:
יחברו במחנה אמת — ותענן לו עטרת --:
אתרה המתחזק לכתוב - — שאויב עליך לבוב -:
באלהורת האמת חלקך - — כי מראהן הדימותה:
צופרה אתה בקהל ענוים — ומלמידהם דברי קדושים
מתפתרה אותם לחיורת — ונפשותם שאין מלמגורת:
רצרת אחרי יהוה- — ותקח עבודה קדושה:
תפשתה ותטעום אותה — ותמתוק בפיך מצופה:
נעורך׳ כשמואל אתה — מתחקר בלשון הקדושה:
בעבורה את מולדתך - — עזבת אביך ואמך --:
על־כן פקדרת פריסים — על־כן הרחקרת אנגרים:
על־כן העידורת באלה — ותכתוב משאלות האלה:
ותעמוד בתרך רבים — שלך להשיב למשאלים:
אשריך׳ שתחפוץ בתורה — ותהגה בה יום ולילה:
כי חן טובים תעטרנך-- — וקרוב ורחוק אהבוך -:
ואחרי היטיבך --- — היום את הערותך -:
בהחלת בירת עולמך- — תבוא אל מקור חייך -:
ותעמוד בתוך העדים — ותגל בלא קץ בשמים:

Amico integerrimo, calamô, & animô ſincerô, huncce honorem gratanter deſert, & offert:

PETRUS SZILAGYI, *Tranſylv. Ung.*
S. S. Th. ut & Ph. ac Ling. Stud.

IN HONOREM
Ornatissimi Domini Auctoris & Defendentis,
Amici singularis.

In tabulis signata sacris Veterisque Novique
Fœdèris, Excelsi quòd sint Orâcla benigna
Numinis, Explanas; os obturare paratus
'Αντιδίκῳ, Stolidus si non velit ipse fateri:
Humanâ specie, sibi nîl nisi mente carentem
Esse datam molem. Sic fundamenta peritum
Structorem decuit non concutienda locare
Ædis Cœlestis: Super his nam ritè struendo
Quis metuat Satanæ fraudes? Quis sceptra Tyranni?
Quis portas Erebi? Nunquam hæc structura movetur.
Te spes, Hunniadi, quoniam hac in rupe locata est;
Nunquam frustrabit. Laudes te ac certa manebunt
Præmia, ritè Dei dùm perges condere Templum.

LAUR: LE BRUN,
SS. Th. St.

Ad

Ad Eundem.

Huc vultum, huc animum convertas, Impie quæſo!
Qui ſpernis, rides, dogmata Sacra Dei.
HUNNIADES agili cum dexteritate refellit,
Peſtiferæ ſectæ ludicra dicta tuæ.
Semina ſi rationis habes, des vela retrorſum,
Nec poſthac nugas projice, Stulte, tuas.
Magni verba Dei reverenter habenda memento,
Ut Te non maneant fulmina juſta Dei.
Tu tamen *Hunniades Patriæ non infima gentis*
Gloria, Parnaſſi delicium atque decus
Macte bonis cœptis volitabit fama per orbem
Pannoniæque Tuæ commoda multa feres.

Hæc Amico optimo in ſui memoriam apponere voluit, debuit,
JOH. VON DEN BUSCH,
Bremâ Saxo L. L. Stud.

Ad Eundem.

Nec lux eſſe poteſt homini , nec regula vitæ,
Nî fuerint Sacrâ Biblia Scripta manu.
Nam leges ferre, aut, niſi Numen, Numinis iram
Placandi methodum tradere, quis poterit?
Eſt Deus, a cujus dependent omnia nutu,
Qui lapſos homines erigit atque beat.
Nunc fidei noſtræ fundamina firma videmus,
Hunniades verbum dùm probat eſſe Dei.
HUNNIADI ſic perge Dei defendere cauſam
Prœmia tu referes digna labore tuô.
Exemplôque tuô, quantum labor improbus auſit
Virtuti junctus, perge docere tuos.

Sic Amico accinnit
GER: VON DEN BUSCH, *Bremâ Saxo.*
S. S. Theol. Stud.